DE RATIONE CITANDI IN CICERONIS PLVTARCHI SENECAE NOVI TESTAMENTI

SCRIPTIS OBVIA.

DISSERTATIO INAVGVRALIS

QVAM AVCTORITATE ET CONSENSV AMPLISSIMI PHILOSOPHORVN IN ACADEMIA PHILIPPINA MARPVRGENSI ORDINIS AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

EDGAR HOWIND
CASSELLANVS

MARPVRGI CHATTORVM
TYPIS ACADEMICIS IOH. AVG. KOCH (DR. C. HITZEROTH)
MCMXXI

Ad ordinem philosophorum de comprobanda dissertatione rettulit
THEODORVS BIRT, P. P. O.
Examen rigorosum habitum est a. d. III. Kal. Jul. MCMXXI.

KVRT HOWIND

FRATRI CARISSIMO

PRO PATRIA MORTVO

S.

Rudolfus Seippel in opusculo, quod de scriptorum Graecorum, qui ante Aristotelem fuerunt, ratione auctores laudandi composuit, p. 1 aegre fert usque ad suum tempus plurimos viros doctos, qui locos a scriptoribus laudatos respexisents, nihil aliud nisi quid laudaretur, quanam autem ratione auctores citarentur neminem satis quaesivisse. Atque recte quidem hoc monuit. Tamen aliquot libellos et commentationes possidemus, e quibus eis quae Seippel desideravit lux affertur, dico Langbeinii opusculum, quo Platonis citandi rationem diligentissime absolvit, Roemeri [1]) et Vahleni [2]) tractationes, quibus de Aristotelis consuetudine auctores laudandi quaesiverunt, Herselii [3]) libellum, quem iam antea de auctoris *περὶ ὕψους* ratione citandi conscripsit. Sed ut liber possit componi, quo consuetudinis illius supra denotatae variae rationes per tempora commutatae prorsus explanentur, multa adhuc et multiplici pervestigatione opus est, qua singulorum scriptorum proprietates eruantur.

Impulit me ad haec suscipienda Th. Birt, qui etiam studiorum quae de orationis directae et indirectae inductoriis formulis comparuerunt [4]) auctor fuit; cf. etiam Nordenum l. l. p. 90 adn. 1. Itaque hoc opusculo symbola saltem ad quaestionem propositam conferatur, quam plane absolvendam posterioribus concedo.

Usus sum et aliis libris et his:

Th. Birt, Kritik und Hermeneutik, München 1913, p. 29 sqq.
Fr. Blass, Grammatik des neutestamentlichen Griechisch, Göttingen 1896.
G. Bruns, Fontes iuris Romani, Tübingen 1909 [7].

---

1) Adolphus Roemer, Sitzb. d. Bayr. Akad. (1884) p. 269 sqq.

2) Iohannes Vahlen, Sitzb. d. Berl. Akad. (1902) p. 162 sqq.

3) Henricus Hersel, Qua in citandis scriptorum et poetarum locis auctor libelli *περὶ ὕψους* usus sit ratione, Diss. Berlin 1884.

4) Vide Buenningsii et Rehmii libellos.

Aemilius Buennings, Quomodo inducantur orationes directae in antiquorum oratione soluta pars prior, Diss. Marburg 1903.

Ludwig Hahn[1], Zum Sprachenkampf im Römischen Reich, Philologus Suppl. X (1907), p. 675 sqq.

Ludwig Hahn[2], Rom und Romanismus im griechisch-römischen Osten. Leipzig 1906.

Eugen Huehn, Die alttestamentlichen Zitate und Reminiszenzen im N. T., Tübingen 1900.

A. Juelicher, Einleitung in das Neue Testament, Tübingen 1913[6].

E. Kautzsch, Die Apokryphen und Pseudepigraphen des alten Testaments, Tübingen 1900.

Guilelmus Langbein, De Platonis ratione poetas laudandi, Diss. Jena 1911.

Eduard Norden, Die antike Kunstprosa, Leipzig 1898.

Rudolfus Rehme, De Graecorum oratione obliqua, Diss. Marburg 1906.

Joseph Seidel, Vestigia diatribae, qualia reperiuntur in aliquot Plutarchi scriptis moralibus, Diss. Breslau 1906.

Rudolfus Seippel, De veterum scriptorum Graecorum ratione auctores laudandi, Diss. Greifswald 1903.

Eduard Stemplinger, Das Plagiat in der griech. Literatur, Leipzig 1912

H. B. Swete, An introduction to the Old Testament in Greek, Cambridge 1900.

Joh. Vahlen, Opuscula Academica, Leipzig 1908.

R. Volkmann. Leben, Schriften und Philosophie des Plutarch von Chaeronea, Berlin 1869.

Hans Vollmer, Die alttestamentlichen Zitate bei Paulus, Freiburg 1895.

C. Wachsmuth, Sillographorum Graecorum reliquiae, Leipzig 1885.

Henricus Weber, De Senecae philosophi dicendi genere Bioneo, Diss. Marburg 1895.

Paul Wendland, Die hellenistisch-römische Kultur in ihren Beziehungen zu Judentum und Christentum, Tübingen 1907.

U. von Wilamowitz-Moellendorff, Philolog. Unters. IV, p. 292 sqq.

W. Zillinger, Cicero und die altrömischen Dichter, Diss. Würzburg 1911.

CAPUT PRIMUM

DE CICERONE.

Maximam fuisse omnibus temporibus gloriam atque auctoritatem librorum Ciceronis inter omnes constat. Nam non modo orationes eius et ii libri, qui sunt de philosophia et rhetorica, politissima arte perfecta, verum etiam ad antiquitatis scientiam tam necessaria sunt, ut, si ea non haberemus, rem publicam Romanam, rhetoricam antiquam, philosophiam Hellenisticam intellegere et percipere non possemus. Accedit quod ex eius scriptis praecipue poetas Romanos veteres novimus. Ciceronem enim, ut erat magnus amator cum philosophiae Graecae tum antiquae poesis Latinae, multa ex illis litteris tamquam lumina suae intexuisse orationi iam Vahlenus l. l. I p. 88 sqq. monuit. Quae satis nota sunt neque his de rebus plura verba faciam. Sed hic velut primis lineamentis tractare propositum est, qua ratione Cicero verba aliorum scriptorum suae orationi inseruerit; quae ratio non ubique eadem est.

Qua in re primum distinguamus necesse est, quae quidem verba ab eo inserta intellegi velimus. *Dicta praeclara* et memorabilia, talia ut Tusc. III 30: Fuerat enim auditor Anaxagorae, quem ferunt nuntiata morte filii dixisse: »Sciebam me genuisse mortalem«, et *proverbia*, quae in sermone hominum vigent, ut pro Flacco 65: Utrum igitur nostrum est an vestrum hoc proverbium: »Phrygem plagis fieri solere meliorem?«, nihil curemus. Hic tantummodo aperte dilucideque ex aliis scriptoribus repetita volo esse verba, de quibus disputetur. Quattuor autem genera scriptorum Ciceronis distinguenda sunt; alius est inductionum usus in opere scholastico De inventione, alius in dialogis, alius in orationibus, alius denique in epistulis.

1.

Primum igitur percurramus Rhetoricos libros sive de inventione, qui a Cicerone non perfecti sunt. Quorum ex ipso argumento explicatum habet, quod Cicero versus ex veteribus poetis petitos ibi non attulit, nisi quibus leges quas statuit rhetoricas illustraret. Inductio autem nulla fere varietate distincta est, cum Cicero praecipue his paucis tantum verbis usus sit: *cuiusmodi est*, *hoc modo*, *quod genus*, semper fere omisso fabulae vel poetae nomine. En habeas uniuscuiusque rei exemplum: de invent. I 27 a: Fabula est, in qua nec verae nec veri similes res continentur, *cuius modi est:* »angues ingentes alites, juncti jugo . . .« similiter I 27 c et I 91 a. De invent. I, 91 b: controversum est, in quo ad dubium demonstrandum dubia causa affertur, *hoc modo*:[1]) »Eho tu, di, quibus est potestas. . .« adde I 27 d; I 83; I 90. De invent. I 27 b: historia est gesta res, ab aetatis nostrae memoria remota, *quod genus:* »Appius indixit Carthaginiensibus bellum.«

2.

Quantum ab hoc opusculo differunt scripta illa quadraginta fere annis post confecta, quae sunt de philosophia! Tum quidem Cicero summum eloquentiae culmen consecutus etiam in verbis aliorum commemorandis mira quadam arte et varietate utitur. Quam ob rem haec scripta maxime idonea sunt, quibus omnia artis citandi »elementa« illustrentur, de quibus hic fusius disputetur.

Atque vulgo quidem fieri non potest, ut loci ex poetis vel aliis scriptoribus afferendi orationi sine nexu inserantur; sed ita cum oratione conectendi sunt, ut et ii qui legant omnia ad sententiam intellegendam necessaria cognoscant et verba illa ipsa quam facillime ac simplicissime orationi misceantur. Quod ut perficeret, Cicero aliena maxima ex parte verbo dicendi induxit vel locutione quae idem valet. In verbis dicendi *dicere*

1) Hanc formulam inductoriam Auctorem ad Herennium, qui nominatur, adamasse monendum puto; posuit enim 12iens in 21 exemplis, quae omnino affert. Sed ex ratione eius aliena laudandi certum aliquid de scriptore ipso erui non potest.

verbum cum formis suis longe praevalet; positum enim est 33[iens]; contra *loqui* vocem non nisi quater usurpatam invenies. Alia vocabula a Cicerone exhibita haec sunt: *declarare, narrare, respondere, exclamare, aio, pronuntiare, ecfari.* Nunc, ut soleo, aliqua exempla proferam: de off. I 139: Odiosum est enim, cum a praetereuntibus *dicitur*: »O domus antiqua . . .« adde Acad. prior. 52; parad. V 34; de fin. II 14; 25; 41; 96a; V 29; 63; Cat. mai. 79; Lael. 89; Tusc. II 23b; 49; 60; 67; III 41; 44; 65; 71; 76; IV 55b; 69b; de off. I 61a; 97; III 63; de divin. I 60; II 82; 133; de deor. nat.[1]) II 4; 65; III 72b; 73c.

De divin. II 104: qui magno plausu *loquitur* adsentiente populo: »Ego deum genus esse semper dixi et dicam caelitum, . . .« adde de fin. II 106; de divin. II 63; de deor. nat. II 89.

Tusc. III 58: Atque hoc idem Telamo ille *declarat:* »Ego cum genui . . .«

De divin. I 40: *Narrat* enim et apud Ennium Vestalis illa: »Eccita cum tremulis . . .« adde Acad. prior. II 51.

De divin. II 133c: tum Attici *respondent:* »Non intellegimus nisi si aperte dixeris«; adde Cat. mai. 20; Tusc. III 76; de divin. II 116a.

Tusc. II 19b: Itaque *exclamat* exilium expetens, mori cupiens: »Heu! qui salsis fluctibus mandet . . .«; adde de deor. nat. I 13.

Tusc. II 20: *ait* ille: »O multa dictu gravia . . .«; adde de off. II 56.

De divin I 17: versus . . quos . . Urania Musa *pronuntiat:* »Principio aetherio . . .«

De divin I 81: Tum enim ferunt ex oraculo *ecfatam esse* Pythiam: »Ego providebo . . .«

Sed non raro talia quoque verba adhibet, qui vocem affectionemve animi describunt loquentium vel ipsa quoque summam orationis complectuntur uno verbo, ut *lamentari* (Tusc. II 48), *laudare* (Tusc. III 28; V 25; 46), *deplorare* (Tusc. III 53), *implorare* (Acad. prior. 89d), *invitare* (Acad. prior. 51), *docere* (de deor. nat. II 91b), *interpretari* (de deor. nat. II 91a), *quae=*

---

1) Sic enim nec *de nat. deor.* titulum horum librorum esse scribendum Birtius l. l. p. 154 et nuper Berl. philolog. Wochenschr. 1918 p. 545sq. monuit.

rere (Tusc. III 18; 44 b), *gaudere* (Tusc. IV 67), *maerere* (Tusc. I 105), *audire* (Acad. prior. 88 b; de fin. II 96 b; Tusc. I 37; IV 77 b), *videre* (de divin. I 13; 45), *legere* (de fin. I 5), *canere* (Tusc. I 85 b), *scribere* (Tusc. V 100), *nugari* (de divin. II 30).

Quin etiam substantivis vel locutionibus ex verbo et substantivo compositis inductio paratur; tales dico locos ut Cat mai. 61: in quem illud *elogium:* »hunc unum plurimae . . .«; vel Tusc. V 52: . . nec putet ad se *praeceptum* illud Atrei pertinere: »Proinde ita parent . . .«. Vel Tusc. III 39: in quo haec *admiratio fiebat:* »Hicine est ille Telamo . . .«, vel de divin. II 42: Itaque in nostris commentariis *scriptum habemus:* »Jove tonante, fulgurante comitia populi habere nefas.«

Jam haec sufficiant de verbis inductoriis. Plerumque autem Cicero, ut aliena induceret, verbum tantum ponere non satis habuit, sed poetae vel scriptoris nomen, a quo exempla petivit, addit ac non raro fabulam vel scriptum commemorat, quo usus est, ut Cat. mai. 24: sed idem in eis elaborant, quae sciunt nihil ad se omnino pertinere: »serit arbores, quae alteri saeculo prosint«, ut ait *Statius* noster *in Synephebis*; interdum personam nominat quae verba fecit, ut Tusc. III 58: Atque hoc idem *Telamo* ille declarat: »Ego cum genui . . .« et *Theseus:* »Futuras mecum commentabor miserias«; nonnunquam denique conexum rerum accuratius illustrat verbisque definit, ut de divin. II 82 b: At Homericus Aiax *apud Achillem quaerens de ferocitate Troianorum* nescio quid hoc modo enuntiat: »Prospere Jupiter his dextris fulgoribus edit.« Commemorandum etiam est Ciceronem verbis, quibus fontem indicaret, interdum sententiam parvulam inseruisse, ut Tusc. III 18: Itaque non inscite Heracleotes Dionysius ad ea disputat, quae apud Homerum Achilles queritur hoc, *ut opinor,* modo: »Corque meum penitus turgescit tristibus iris, . . .«, ubi verbis *ut opinor* additis scriptor videri voluit Ennii verba e memoria afferre (Vahlenus, Enn. poes. rell. [2] p. XLV); cf. Brut. 57 et ep. ad Att. I 20, 3 et pro Sest. 118. Nempe dubitari non potest, quin veteres scriptores plerumque ex memoria aliorum auctorum verba citaverint; vide praecipue, quod Stemplingerus l. l. p. 242 sqq. de hac re disseruit.

Has omnes inducendi rationes breviter inductionis nomine

complectamur. Quas adhibens et componens Cicero magnae libertati ac varietati locum dat, quam paucis verbis amplecti non possumus. Verum hic in universum de illis potissimum dicam, quae propria sunt inductionis.

Plerumque quidem Cicero pronomine demonstrativo se verba ex alio scriptore commemoraturum antea indicat, ut de fin. II 71: Nosti, credo, *illud*: »Nemo pius est, qui pietatem . . .« pronomen *ille* adhibetur; cf. Acad. prior. 52; 88 b; de fin. II 22; 24; 106 a; V 63; Cat. mai. 16; 25; 61; Tusc. I 34 a; 85 b; 107 a et b; II 13; III 28; 29; 44 c; 53; 56; 59; IV 19; V 25; 52; de off. I 38; 52; 63; 77; III 102; 106; de fat. 35 a et c; de divin. I 65; 114 a; II 115 b; de deor. nat. I 79; II 60; III 10. De pronominibus quae praemitti solent, cf. etiam Birt[1]) p. 81. De fin. II 41: *Hoc* dixerit potius Ennius: »Nimium boni est, cui nihil est mali« multisque aliis locis (cf. Cat. mai. 20 b; 79; Tusc. II 23 b; III 18; 41; 58 a et b; V 90; 100; de off. III 98; de fat. 35 b; de divin. II 12; 82 b; 109; de deor. nat. II 89 a) in eundem sensum *hic* usurpatur, interdum etiam *is* vel *talis*, ut de divin. II 25: Hoc idem significat Graecus ille in *eam* sententiam versus: »Quod fore paratum est, id summum . . .«; adde Tusc. II 50; de off. I 61 b. Tusc. IV 77 a: Ira vero, quae quam diu perturbat animum, dubitationem insaniae non habet, cuius impulsu exsistit etiam inter fratres *tale* iurgium: »A. Quis homo te exsuperavit . . .«; adde de off. I 61 a. Haud raro Cicero, ut idem efficiat, etiam particulis demonstrativis utitur *ita, sic, ecce,* quod docent quae sequuntur exempla: de fin. V 49: *Ita* enim invitant Ulixem (nam verti, ut quaedam Homeri, sic istum locum): »o decus Argolicum —« adde Acad. prior. 51 a et b; 73; Tusc. III 44 a; 65 c; de deor. nat. II 65 a. de divin. II 63: De cuius coniectura *sic* apud Homerum, ut nos otiosi convertimus, loquitur Agamemno: »Ferte, viri, et duro animo tolerate labores«; adde Cat. mai. 20 a; Tusc. III 71; de deor. nat. I 63 a; II 65 c; 89 b. Tusc. III 44 a: *Ecce* tibi ex altera parte ab eodem

---

1) Th. Birt, Jugendverse und Heimatpoesie Vergils, Erklärung des Catalepton, Leipzig 1910.

poeta: »ex quibus summis . . .« De hoc loco plura verba facere liceat. Nam Birtius in Mus. Rhen. t. LXX p. 545 sagacissime ac dilucidissime desperatum illum locum, qui exstat in ipso initio quartae satirae Iuvenalis, enucleavit observata *ecce* vocabuli usurpatione; dicit enim vir doctissimus *ecce* semper alteram personam appellare neque usurpari nisi alius adsit qui audiat, sive in epistula sive in sermone, atque tum maxime ad exempla afferenda exhiberi. Quae quidem loco supra allato clarissime comprobatur. Confer etiam Tusc. I 106; de fin. IV, 76; Senec. ep. 15, 9.

Iam redeat oratio, unde aberraverat, ad formulas inductorias. Simplicissima et a Cicerone saepe usitata inducendi ratio talis est, qualis exstat Tusc. IV 70: *Bene ergo Ennius:* »Flagiti principium est nudare inter cives corpora«, ubi parco sermone atque inornate nihil nisi poetae nomen indicatur adiecto *bene* adverbio, quo Cicero significat, quid de versu illo sentiat; *ergo* particula declarat, quae ratio sententiae praecedenti cum verbis insequentibus intercedat. Denique hic ipsum verbum dicendi omittitur, ut semper fere; cf. de off. I 63; II 23; 62; III 104; 108; de deor. nat. II 95; de fin. V 58; Cat. mai. 25b; 73; Lael. 64 (nam Seiffertium[1]), qui vult verba citata cum insequentibus sententiarum structura non cohaerere, secutus sum). Et hic quidem inductione una cum verbis inductis una sententia primaria efficitur, quae aliunde non pendet. At quantopere omnia haec a Cicerone variantur et mutantur, ubi eas res illustrat, quas cognoscere debemus, ut proposita recte intellegamus! Vide de fin. II 106: Itaque beatior Africanus *cum patria illo modo loquens:* »Desine, Roma, tuos hostes —«. Hic participium sufficit, ut breviter illustrentur, quae ad rationem verborum inmissorum intellegendam necessaria sint, ita ut inter hoc exemplum et illa supra allata nihil interesse putes; adde Cat. mai. 79; Tusc. II 19b; 23b. Sin autem una sententia primaria non sufficit, Cicero secundarias vel unam vel complures assumit itaque chriarum forma nascitur philosophis non

1) M. Tullii Ciceronis Laelius mit einem Commentar, Brandenburg 1844, p. 399 sq.

paucis tritissima: de divin. I 122: Et Socrates quidem (quo quem auctorem meliorem quaerimus?) *Xenophonti consulenti sequereturne Cyrum, posteaquam exposuit, quae sibi videantur:* »Et nostrum quidem«, inquit, »humanum . . .« similiter de fin. I 9; Cat. mai. 47; Tusc. I 106; V 35a; de off. II 53; de deor. nat. II 89a; III 79. Quanta varietas, quanta libertas, quas hic singulas persequi non possum!

Quin etiam fit, ut Cicero complures sententiarum compositiones usurpet, quibus verba laudanda ipsa illustrentur. Vide Tusc. II 20: Sed videamus Herculem ipsum, qui tum dolore frangebatur, cum immortalitatem ipsa morte quaerebat. Quas hic voces apud Sophoclem in Trachiniis edit! Cui cum Deianira sanguine Centauri tinctam tunicam induisset inhaesissetque ea visceribus, ait ille: »O multa dictu gravia . . .« Primum de Hercule agi comperimus. In secunda sententia poetam ac fabulam cognoscimus. Tum denique Cicero condicionem easque res, quibus oppressus Hercules versus illos miserabiles enuntiat, diligentissime verbis depingit. Num Cicero subtilius atque uberius disserere potuit? Nihilominus tantum abest, ut id opimum quoddam et tamquam adipatae dictionis genus esse videatur, ut et candidam et commodam dicendi esse rationem censeamus, cum illa quae explanandi causa allata sunt in tres sententias diversas neque inter se conexas distributa sint. Similiter res se habet Tusc. I 103 et de divin. II 63. Haud raro autem Ciceroni sufficiebat simplex illud *ut ait* . . ., *ut dixit* . . ., *ut narrat* . . ., *ut* . . . *est, inquit* . . . sive ante sive postpositum adiecto auctoris nomine vel scripti titulo. Ex magno exemplorum numero affero haec: de off. I 150: Minimeque artes eae probandae, quae ministrae sunt voluptatum: »Cetarii, lanii, coqui, fartores, piscatores«, *ut ait* Terentius; adde Acad. prior. 66; de fin. II 23; V 28; Cat. mai. 24; 31; Lael. 93; Tusc. I 31; III 5; 40; 63; de off. I 15; de divin. I 24; II 57; de deor. nat. I 63b; III 41; Tusc. I 28: Ex hoc et nostrorum opinione »Romulus in caelo cum dis agit aevum«, *ut* famae adsentiens *dixit* Ennius; adde Parad. 34; Tusc. IV 48: Sed in illo genere sit sane Pacideianus aliquis hoc animo, *ut narrat* Lucilius: »Occidam illum equidem . . .«;

de divin. I 88: Atque etiam ante hos Amphiaraus et Tiresias non humiles et obscuri neque eorum similes *ut* apud Ennium *est:* »Qui sui quaestus causa fictas suscitant sententias«; adde de fin. V 32; Tusc. III 20; de divin. I 107; II 116b; de deor. nat. I 13a; de off. III 84: »Multi iniqui atque infideles regno, pauci benivoli«, *inquit* Accius; adde Acad. prior. 73b; de fin. II 52; 96; V 31b; Cat. mai. 47; Tusc. I 97 sqq.; 103; II 38; 48; III 12; 26b; 42; V 35a et b; 101b; de off. I 63; II 53; III 42; de fat. 41; 43; 46; de divin. I 122; II 103; 107; 108; 127; de deor. nat. II 16; 95. Facillimae sunt eiusmodi interpositiones, quibus reliqua non tanguntur. Ubi autem *inquit* interponitur, verba aliunde allata plerumque quidem libere et solute ponuntur. Quam rem infra tractabimus.

Sequitur adnotatio de verbis ex solutae orationis scriptoribus sumptis, quorum inductio habet quae peculiaria sint. Saepissime de locis ex summis philosophis repetitis agitur, qui ubique fere aliquo dicendi verbo inducti sunt. Praeter *inquit*, quod nimirum frequentissimum est, haec habe: de divin. I 60: Vide, quid Socrates in Platonis Politia loquatur; *dicit* enim: »Cum dormientibus ea pars animi . . .« similiter Cat. mai. 79 et Tusc. III 41; vel de off. II 56: *Ait* enim: »qui ab hoste obsidentur . . .«; vel de fin. V 58; Praeclare enim Plato: »Beatum, cui etiam in senectute contigerit . . .«, ubi verbum dicendi omissum est contra legem, quam Cicero (cf. de off. III 42 et de deor. nat. II 95) observat. Semper porro scriptor et liber nominari solent sive arte conexi cum sententia quae offertur, ut Acad. prior. 73: *Chius Metrodorus, initio libri qui est de natura,* »Nego«, inquit, »scire nos . . .« sive ampliore inductione, ita: Tusc. I 103: De qua Socrates quidem quid senserit, apparet in eo libro, in quo moritur, de quo iam tum multa diximus. Cum enim de immortalitate animorum disputavisset et iam moriendi tempus urgueret, rogatus a Critone, quem ad modum sepeliri vellet, »Multum vero«, inquit, »operam, amici, frustra consumpsi . . .«

Cicero, si philosophorum verba testandi ac comprobandi causa affert, plus gravitatis ea habere voluit eaque causa commotus accuratius unde sumpta sint significare videtur. Haud

aliter res se habet in epistulis allatis: Tusc. V 90: Est prae= clara epistula Platonis ad Dionis proprinquos, in qua scriptum est: »Quo cum venissem . . .«. Non nisi paucis locis (de fin. II 52; Tusc. I 101 b; de off. I 15; 63; III 42; de deor. nat. II 95) nil nisi auctoris nomen allatum est. — Sub finem omittere noli observationibus meis confirmari id quod Birtius l. l (cf. p. 11) posuit: nunquam in parenthesi stare inductionum formulas, itaque Catalept. VI 4 sqq. scribi non posse

et mihi
(ut ille versus usque quaque pertinet)
»gener socerque perdidistis omnia.«

Ceterum saepe verba citanda per se ponuntur nec cum structura sententiarum miscentur. Inductio ipsa et ea quae ad sensum intellegendum necessaria sunt separatim vel una sen= tentia vel sententiarum compositione iuxta ponuntur (cf. supra p. 12 et 14); vide Tusc. IV 52 b; de off. II 53; de fat. 43; de deor. nat. II 16. Sed etiam interrogationibus elegantioribus favet Cicero, cuius rei exemplum est de divin. I 44: Cuius= nam modi est Superbi Tarquinii somnium, de quo in Bruto Accii loquitur ipse? »Quoniam quieti corpus . . .« Hic com= posite et breviter Cicero in versibus, qui sequantur, de somnio agi Tarquinii Superbi indicat et ostendit, quisnam poeta in qua fabula versus illos ediderit. Non semper nimirum Cicero hac diligentia utitur, semper tamen curavit, ut verba commemoranda ad interrogationem praepositam responsum redderent. Hac ratione sermonis alacritas augetur eorumque qui legunt studia magis excitantur; vide potissimum Tusc. I 15: Sed tu mihi videris Epicharmi, acuti nec insulsi hominis ut Siculi sententiam sequi. — Quam? non enim novi? — Dicam, si potero, Latine. Scis enim me Graece loqui in Latino sermone non plus solere quam in Graeco Latine. — Et recte quidem. Sed quae tandem est Epicharmi ista sententia? — »Emori nolo, sed me esse mortuum nihili aestimo.« Primum igitur Cicero auditoris ani= mum exspectatione erigit eo, quod tantummodo poetam nominat nec versum ipsum enuntiat. Ab auditore interrogatus, quinam iste versus sit, primo quidem circuitione et anfractu utitur: se Latine dicere periclitaturum. Tum demum iterum ac vehemen=

tius interroganti sententiolam ipsam affert. Confer etiam Tusc. I 97; III 26 c; 45; 65 a; IV 69 a; V 35 b; de divin. I 106; II 103; de deor. nat. III 72. Similiter Tusc. II 23: Veniat Aeschylus, non poeta solum, sed etiam Pythagoreus. Quo modo fert apud eum Prometheus dolorem, quem excipit ob furtum Lemnium! »Unde ignis cluet mortalibus clam . . .« Vides Aeschyli verba per exclamationem inferri. Interdum vero in vivido sermone inductio postponitur, id quod factum est Tusc. IV 55 a: »Ecquis hoc animadvertit? vincite!« num aut egisse unquam iratum Aesopum aut scripsisse existimas iratum Accium? Adde Cat. mai. 1 et 20 a. Paulo aliter res se habet de off. III 84 et Lael. 93: »Negat quis, nego, ait, aio; postremo imperavi egomet mihi Omnia adsentari«, *ut ait idem Terentius*, ubi in sententia illis versibus annexa, vel de divin. II 127 et Tusc. V 101 b: »Quid aliud«, *inquit Aristoteles,* »in bovis, non in regis sepulcro inscriberes?«, ubi in sententiola inmissa auctoris nomen et id solum nominatur.

Restat, ut duos locos commemorem, qui peculiari quadam ratione allati sunt. Primum de deor. nat. II 159: Quibus cum terrae subigerentur fissione glebarum, ab illo aureo genere, ut poetae loquuntur, vis nulla unquam afferebatur?

»Ferreae tum vero proles exorta repente est
ausaque funestum prima est fabricarier ensem
et gustare manu vinctum domitumque iuvencum.«

Tanta putabatur utilitas percipi e bubus, ut eorum visceribus vesci scelus haberetur.

Hic tres versus ex carminibus Arati a Cicerone in Latinam linguam conversis afferuntur, quibus Ciceronis ipsius sermo continuatur nec vero interpungitur. Tum vide Tusc. II 44: »Si summus dolor est«, inquit, »brevem necesse est esse.« *Iteradum eadem istaec mihi!* non enim satis intellego, quid summum dicas esse, quid breve. — Illa verba ex Pacuvii Iliona petita Cicero iocose sibi ipsi tribuit. Prorsus diversam citandi rationem in Paradoxis Stoicorum invenies, ubi Cicero Paradoxon ipsum sive sententiam controversam a Stoicis assumpsit et quasi thema disputandi sine nexu orationi suprascripsit; haec illa ratio est, qua nostri quoque praedicatores versum aliquem

ex sacris libris tractandum praescribere solent suis sermonibus. Idem nobis occurret apud Plutarchum mor. 97 C et apud Senecam ep. 124, 1.

Haec quidem hactenus; ad aliud procedo. Dubitari enim non potest, quin aliena verba argutissime et urbanissime laudentur, si ita orationi innectuntur, ut totius sententiarum structurae non nisi partem efficiant, qua exempta vis atque ordo verborum turbentur. In eiusmodi sententiarum compositionibus formula inductionis ne desideratur quidem; nam sententiarum structura verbis quae aliunde afferuntur accuratissime aptata esse solet, fere semper autem auctoris nomen omittitur, ut Tusc. II 33: sed ille certe non fortis, qui iacet

»in tecto humido
Quod eiulatu, questu, gemitu, fremitibus
Resonando mutum flebilis voces refert.«

Adde de fin. V 31 a; Cat. mai. 1 b et c; Tusc. I 68; 69; II 36; de divin. I 114 b; de deor. nat. I 119. Hac ratione Cicero notionem aliquam, quam tractat, vel sententiam elegantiorem planioremque reddere vult, id quod maxime conspicuum est de fin. II 18: Aut enim eam voluptatem tueretur quam Aristippus, id est, qua sensus dulciter ac iucunde movetur, quam etiam pecudes si loqui possent, appellarent voluptatem, aut, si magis placeret suo more loqui, quam ut

*»Omnes Danai atque Mycenenses
Attica pubes«*

reliquique Graeci, qui hoc anapaesto citantur, hoc non dolere solum voluptatis nomine appellaret, illud Aristippeum contemneret, aut . . .

His versibus allatis Cicero magnam eorum multitudinem, qui de voluptate aliter atque Aristippus sentiant, tamquam sub oculos nostros subicit. Similia docent Tusc. I 10; 37 b; II 41; III 26 a; IV 76, quo loco ultimo *mediocria* enumerantur, tum versibus ulterioribus consectaria quoque poetae verbis exprimuntur. Adde de divin. I 132 a: non enim sunt ii aut scientia aut sorte divini,

»Sed superstitiosi vates inpudentesque harioli —«,

ubi Cicero his Ennii versibus non nominati utitur, quia ipse

de vatibus tam aspere loqui veretur. Confer de divin. II 115a; 133a; de deor. nat. III 24: quid Oceani fervore illis in locis,

»Europam Libyamque rapax ubi dividit unda?«

Hic Cicero poetae verbis terrae regiones describere quam ipse earum nomina ponere maluit. Licentius agit Cicero, ubi verba afferenda paullo immutat, quo facilius sententiarum ordini inserantur. Vide de off. I 30: Quamquam Terentianus ille Chremes »humani nihil a se alienum putat«. Hic illud *putat* tertiam personam ostendit; apud Terentium Chremes ipse prima persona loquitur. Confer Tusc. I 85a *(astante* pro *adstantem)* et II 67, ubi verba ex fabula quadam allata *per undas currus suspensos rapuisse* ita orationi inmiscentur, ut per facilem mutationem ex *dicere* verbo pendeant. Verbis eiusmodi allatis plura adici non exspectabis; tamen Cicero sententia parvula vulgo per *ut* vocem inducta saepe scriptorem vel scriptum nominat, ex quo illa hauriebat, quod iam supra p. 13 demonstravimus.

Haud raro denique Cicero versibus non integris utitur; nam scientibus scribit, qui ubi prima verba habent, totum habent (cf. Vahlen l. l. I, p. 88); vide de fin. I 5: An »*Utinam ne in nemore* . . .« nihilo minus legimus quam hoc idem Graecum, quae autem de bene beateque vivendo a Platone disputata sunt, haec explicari non placebit Latine. — Cicero, ut solet, ex longiore carmine selecta ponit; simile quid factum est Acad. prior. 88; de fin. II 71; 106a; Tusc. III 53; 58a; de divin. II 112; vide etiam hoc ubi Cicero non offert nisi quod suo consilio aptum putavit: de deor. nat. III 46: Hoc credo illud esse ». . . *sublime candens, quem invocent omnes Iovem*«; vel Tusc. I 94: Nonne

»Modo pueros, modo adulescentes in cursu a tergo insequens
Nec opinantis adsecuta est«

senectus? Adde de fin. II 18; Tusc. I 83; II 33; 36; 48; IV 52b; de off. I 52; 97; III 102; de divin. I 114a; 131a. Huc pertinet etiam Tusc. I 34: idemque

»Nemo me lacrimis
Cur? volito vivu' per ora virum.«

Sic imperfecta oratione et imperfecto numero scriptum esse in libris optimae notae Vahlenus monuit, qui l. l. I, p. 88 de hoc loco fusius disputavit; adde de deor. nat. III, 72 (Vahlenus p. 89 infra) et de deor. nat. I 13: Itaque mihi libet exclamare ut in Synephebis:

pro deum, popularium omnium, ⟨omnium⟩ adulescentium
clam postulo obsecro oro ploro atque inploro fidem

non levissima de re, ut queritur ille: *in civitate fieri facinora capitalia*

ab amico amante argentum accipere meretrix non vult,

sed ut adsint . . .

Genuinam formam illorum versuum hic liberius allatorum Birtius [1]) coniectura restituit.

Ciceronis ars variandi quanta etiam in citando fuerit, optime perspicies tales locos oculis perlustrans, ubi continuam fere seriem versuum effundere coactus est, ut Acad. prior. 89; Tusc. I 105 sq., II 38 sq., 48 sqq., III 26; 44; 65; 76; IV 72 sq., de divin. I 14 sq., 66 sq., II 133; de deor. nat. II 89; 104—114; III 65—68; 72 sq.

3.

Satis multa de scriptis, quae sunt de philosophia. Nunc ad o r a t i o n e s studia nostra conferamus. In his etsi eadem valent, quae supra tractavimus, tamen nonnulla habent propria orationes in verbis ex aliis scriptoribus commemorandis. Et primum quidem in eis rarissime Cicero scriptores ipsos laudat. Quin etiam in plurimis ne unum quidem exemplum invenies, ut in orationibus pro Quinctio, pro Roscio comoedo, pro Tullio, pro Fonteio, pro Caecina, de imperio Cn. Pompei, pro Cluentio, de lege agraria, in Catilinam, pro Sulla, pro Archia poeta. pro Flacco, Cum senatui gratias egit, Cum populo gratias egit, de domo sua, de haruspicum responso, in Vatinium, de provinciis consularibus, pro Milone, pro Marcello, pro Ligario habitis. In reliquis autem orationibus non nisi ex Romanis poetis vetustioribus verba intexere voluit, ex *Ennio* (pro Rosc. Am. 90; pro Mur. 30; pro Cael. 18; pro Balb. 51; in Pis. 43; pro

1) Berl. Philolog. Wochenschr. 1918, p. 550.

Rab. 29c), ex *Pacuvio* (pro Sest. 126), ex *Terentio* (pro Cael. 38), ex *Afranio* (pro Sest. 118), ex *Naevio* (Phil. II 65), ex *Caecilio Statio* (pro Cael. 37), ex *Accio* (pro Sest. 102; 120–122; in Pis. 82; pro Planc. 59; Phil. I 34), ex *Plauto* (in Pis. 61), ex *poetis incertis* (pro Mur. 60; pro Cael. 36; pro Scaur. 3; pro Rab. 28; 29; pro reg. Deiot. 25; Phil. II 104; XIII 49). Nec vero omnino nominavit poetas, id quod alibi semper fere fecit. Cuius consuetudinis insigne quoddam exemplum exstat pro Sest. 118, ubi fabula aliaque omnia accuratissime indicata sunt excepto poetae nomine: Nam cum ageretur togata »*Simulans*«, ut opinor, caterva tota clarissima concentione in ore inpuri hominis inminens contionata est: »*haec, taeterrime* . . .«

Memorabiles puto etiam nonnullos locos ex Accio petitos, quos Cicero, qua erat vana superbia, in oratione pro Sestio habita sibi ipsi dictos putavit, quod exemplum (120 sqq.), quia latius patet, ipse perlegas velim. Similiter, sed iocose nec infacete pro Cael. 18 versus quosdam Ennianos in Clodiam cadere contendit: Quo loco possum dicere id, quod vir clarissimus, M. Crassus, cum de adventu regis Ptolemaei quaereretur, paulo ante dixit:

»*Utinam ne in nemore Pelio* —«

Ac longius quidem mihi contexere hoc carmen liceret:

»*Nam nunquam era errans*«

hanc molestiam nobis exhiberet

»*Medea animo aegro, amore saevo saucia.*«

Quos locos et quos p. 18 sq. commemoravi, quanta varietate ordinati sint, magnopere miraberis. Etiam alibi Cicero de ingeniis hominum ita agit ut insignia quaedam poetarum verba in eos cadere proclamet, ut pro Cael. 38: Leni vero et clementi patre, cuius modi ille est:

»*Fores ecfregit, restituentur; discidit*
Vestem, resarcietur,«

filii causa est expeditissima. Adde pro Rab. 29; pro reg. Deiot. 25; pro Cael. 37.

4.

Quibus rebus peractis, quod ultimum est, epistulas Ciceronis ad nostram quaestionem exquiramus; in iis autem

me contineo, quas ad Atticum scripsit. Quae quidem tam copiosum varium fusum litterarum genus efficiunt, ut difficile sit id quod destinavimus recte et dilucide exsequi. Nam cum alibi tum praecipue Cicero in epistulis undique carptis ac delibatis flosculis sermonem suum variavit. Nihilominus epistulas maxime adhibebo ad consuetudinem Tullianam illustrandam, quamquam fieri non potest, ut locos omnes afferam, qui ad rem faciunt. Cicero familiarissimum suum Atticum virum omni doctrina eruditum, qui litteras Graecas unice amabat, etiam quae tectius poetarum Graecorum verbis significabat intellecturum confidere potuit nec vero servire debuit iudicio multitudinis, cui tantummodo versus ex poetis Romanis petiti perspicui ac probati erant. Nusquam scilicet Cicero praeterquam in epistulis versus Graecos omnino citat, ne in ea quidem oratione, quam habuit pro »Graeculo« illo Archia poeta. Nam summum fere praeceptum bene scribendi fuit, ut oratio esset una et simplex nec sermo purus locis Graeca lingua conscriptis contaminaretur. Hanc legem valere debere ipse pronuntiat Tusc. I 15: *Scis enim, me Graece loqui in Latino sermone non plus solere quam in Graeco Latine* et de off. I 111: *ne ut quidam Graeca verba inculcantes iure optimo rideamur*. Itaque Graecos versus non nisi Latinis verbis expressos affert, ut Acad. prior. 68; Tusc. I 101; 115; 117; II 20; 23; III 18; 58 b; 59; 63; 65 c; 67; 71; 76; IV 63; 69 a; Cat. mai. 31; de off. III 108; de divin. I 13 sqq.; II 12; 82 b; de deor. nat. II 65 c; 159. Interdum, si Graecos versus in Latinos translaturus est, excusationem praemittit. Dolet quod verbum e verbo exprimere non potest et exempli elegantia diminuitur vertendo; dicit enim de off. III 82: Ipse autem socer in ore semper *Graecos versus de Phoenissis* habebat, *quos dicam, ut potero, incondite fortasse, sed tamen, ut, res possit intellegi:*

»Nam si violandum est ius, regnandi gratia
Violandum est; aliis rebus pietatem colas.«

cf. de fin. II 105; V 49; Tusc. I 15; III 29; de divin. II 63.

Eo quod in epistulis ad Atticum privatim mittendis haec omnia neglegere studioque et amori suo poesis Graecae indulgere potuit, factum est, ut in his epistulis plurimos locos a

Graecis poetis sumeret (71), praecipue ab Homero (42). Contra non nisi 18 loci Latinae originis sunt. Plus quam dimidia pars versuum allatorum (46!) — exceptis enim 4 locis poetae tantum citati sunt — decurtata est, poetae autem non nisi quater decies nominantur. Raro talem inductionem invenies, qualem in iis scriptis, quae sunt de philosophia, ut ad Att. I 20, 3: Nam, *ut ait Rhinton*, ut opinor, *οἱ μὲν παρ' οὐδέν εἰσι, τοῖς δ' οὐδὲν μέλει.* Adde II 7, 4; VII 1, 7; IX 15, 4; X 8, 7 vel X 1, 1 et IX 13, 4: *Αἱ γὰρ τῶν τυράννων δεήσεις, inquit Πλάτων, οἶσθ' ὅτι μεμιγμέναι ἀνάγκαις* vel VI 2, 8: »ausus es ex ore tuo —« *ut inquit Ennius*, ut equites . . . vel II 3, 3a: sed me *κατακλείς* *mea illa* commovet *quae est in libro tertio* »interea cursus . . .« vel I 19, 8: ita tamen istis novis amicitiis implicati sumus, ut crebro *mihi vafer ille Siculus insusurret Epicharmus cantilenam illam suam: νᾶφε καὶ μέμνασ' ἀπιστεῖν· ἄρθρα ταῦτα τῶν φρενῶν.*

Plerumque vero versus nulla inductione praeposita orationi inmissi sententiam aliquam Ciceronis ipsius exprimunt; ita ad Att. I 15, 1, ut exemplum afferam, haec leguntur: Nunc, quoniam . . . multorum odia atque inimicitias rei publicae causa suscepimus, *παντοίης ἀρετῆς μιμνήσκεο,* curaque et effice, ut ab omnibus et laudemur et amemur; vel II 9, 3: si ille cogit, tum dumtaxat nos defendere et, quod est proprium artis huius, *ἐπαγγέλλομαι ἄνδρ' ἀπαμύνεσθαι ὅτι τις πρότερος χαλεπήνῃ.* vel IX 7, 3: Sed vereor ne Pompeio quid oneris imponam, *μή μοι γοργείην κεφαλὴν δεινοῖο πελώρου* intorqueat. — Etiam hic versus plane cum sententiarum structura cohaeret, id quod semel et quadragies in his epistulis factum esse teneas. Vicies Cicero versus solos per se orationi suae admiscuit omissa inductione, quae in his epistulis, ubi noster sermonis elegantia neglecta lingua cottidiana utitur, fortasse cuipiam durior ac molestior videtur esse. Exemplum sit I 16, 5: Defertur res ad senatum; gravissime ornatissimeque decernitur, laudantur iudices, datur negotium magistratibus, responsurum hominem nemo arbitratur. *Ἔσπετε νῦν μοι Μοῦσαι — ὅππως δὴ πρῶτον πῦρ ἔμπεσε.* — Rem admirabilem expositurus Cicero hic opem Musarum invocat, iocose Homeri verba usurpans. Quam libere ac neglegenter

verbis aliunde afferendis usus sit, ex hoc exemplo maxime conspicuum est, quod exstat VII 1, 4: Aliter sensero: *αἰδέομαι* non Pompeium modo, sed *Τρῶας καὶ Τρῳάδας. Πουλυδάμας μοι πρῶτος ἐλεγχείην ἀναθήσει.* — Hic Cicero non modo inter verba ex Graeco poeta petita interposuit Latina, sed etiam duos versus inter se discrepantes copulavit.

Haec habui, quae dicerem de eo, quod mihi propositum erat. Multa obiter tantum attigi, multa plane neglexi. Hoc tamen, quod maximum puto totius disputationis, ex commentariolo meo intellegi posse confido: rationem citandi a Cicerone ad dicendi genus esse accommodatum atque unum et eundem scriptorem diversa ratione aliorum locos laudavisse, siquidem diverso dicendi genere usus sit.

CAPUT SECUNDUM

DE PLUTARCHO ET SENECA.

Iam vero inductionis ars a Cicerone satis eleganter exculta non immutata duravit apud posteriores. Quod ut ostendam, Plutarchum et Senecam philosophum in comparationem vocabo. Qui sane a licentia epistularum Ciceronis alieni sunt, ceterum libertatem, qua idem in philosophicis opusculis usus est, plane superaverunt. Qua in re cynicorum exemplum eos secutos esse videbimus, quod Cicero despexit. Ciceronis enim dialogorum ars magis ex exemplo dialogorum peripateticorum derivatur.

1.

Atque primum studia nostra conferamus ad Plutarchi scripta moralia, cuius ego libros perlegi hos: De liberis educandis, Quomodo adulescens poetas audire debeat, De recta ratione audiendi, Quomodo adulator ab amico internoscatur, De fortuna, De virtute et vitio, Consolatio ad Apollonium, De Alexandri Magni fortuna aut virtute, De gloria Atheniensium,

De defectu oraculorum, De cohibenda ira, De fraterno amore, Quaestionum convivalium librum IV., De Herodoti malignitate, De Stoicorum repugnantiis.

Plutarchum creberrime alios scriptores laudassse constat inter omnes. Ciceronem idem fecisse vidimus, sed Plutarchus hac consuetudine quasi morbo correptus est. Licet verum sit quod Volkmannus l. l. p. 137 observavit eum nunquam plus 4 hexametris vel 5 trimetris continuis exscripsisse. In libello qui inscribitur »Quomodo adulescens poetas audire debeat« vix unam paginam invenies locis aliunde petitis carentem. Hac in re simillimus est Plutarchus nostri aevi scriptoribus, quos *Essayisten* vocamus, qui suas paginas scatere volunt dictis Goethianis. Quae artis citandi elementa iam apud Ciceronem nobis occurrerunt non retractabo, sed ad ea potius attendam, quae peculiaria habet Plutarchus. De certis atque receptis *formulis* inductoriis apud eum nihil fere dici potest, nam tam insigni varietate usus est, ut singulos quosque locos afferre deberem, si omnia accurate exponere vellem. Itaque non nisi graviora et exquisitiora memorabo.

In verbis dicendi *λέγω* verbum longe praevalet; positum enim est 88^{iens}; contra *φημί* vocem, quam saepe alienis verbis interposuit (25^{iens}), non nisi 23^{iens} usurpatam invenies. Accedunt verba quae sunt *ἐπαγγέλλομαι, ἐπιφωνέω, προσαγορεύω, ἐπιφθέγγομαι, προφέρομαι*; saepe etiam *verbis imperandi et hortandi* Plutarchus utitur velut *παραινεῖν, προστάττειν, κελεύειν, παρακελεύειν*, quorum duo exempla afferre satis habeo, quae exstant: 20 A b: *διὸ καὶ τὸν Ὀδυσσέα τῷ κιθαρῳδῷ π ρ ο σ τ ά τ τ ο ν τ α πεποίηκεν· »ἀλλ' ἄγε δὴ . . .«* et 31 D: *ὁ δ' Ὀδυσσεὺς . . . τὸν Τηλέμαχον . . . παρασκευάζει πόρρωθεν ἡσυχίαν ἄγειν καὶ ἀνέχεσθαι, κ ε λ ε ύ ω ν· »εἰ δέ μ' ἀτιμήσουσι . . .«* Sed non raro talia quoque verba adhibet, quae vocem describunt loquentium vel ipsa uno verbo summam orationis complectuntur, ut *ᾄδω* (334 B; 335 A; 348 E), *μωραίνω* (27 B), *δηλόω* et *ὑποδηλόω* (869 C; 99 A), *κωμῳδέω* (458 A), *γνωμολογέω* (481 B); accedunt verba *γράφω* et *ἐπιγράφω* (15^{iens}), *ἀκούω* (21 A d; 32 A; 36 F), *ἀναγιγνώσκω* (24 E; 36 F). Quin etiam substantivis vel verborum compositione utitur hunc in modum: 19 C a: *τῷ τ' Ἀχιλλεῖ τοὺς θρασεῖς λ ό γ ο υ ς περι-*

τίθησιν· »οἰνοβαρές ...« vel 34 D: ... τὴν δὲ πρὸς τὸν Ἀχιλλέα ... γεγεννημένην ἐπίπληξιν ὑπὸ τοῦ Ὀδυσσέως »σὺ δ', ὦ τὸ λαμπρὸν φῶς ...« vel 26 C: οἷον ὁ Ἀχιλλεὺς ... οὐ δημαγωγεῖ πρὸς τὸν ὄχλον, ἀλλὰ τῷ βασιλεῖ γίγνεται σύμβουλος »Ἀτρείδη, νῦν ἄμμι ...« vel 29 C: ὁ Διομήδης μετὰ δὲ τὴν μάχην παρρησίᾳ χρῆται πρὸς αὐτὸν »ἀλκὴν μέν μοι ...« Interdum ad verbum dicendi participium abundanter additur (Langbein l. l. p. 17), ut 415 D: οὐ δὲ Πίνδαρος εἴρηκεν εἰπὼν τὰς νύμφας ζῆν »ἰσοδένδρον τέκμαρ αἰῶνος λαχοίσας.« Eadem forma iam Plato usus erat; cf. Vahlenum l. l. I, p. 499 sqq. Contra exemplum periodi palindromiae, quae vocatur, a Platone ubi verba aliena affert persaepe adhibitae (Langbein l. l. p. 18) in iis Plutarchi scriptis, quae perscrutatus sum, non inveni.

Saepissime Plutarchus auctoris nomen addidit, quod 210iens fecit in 549 locis, quos exscripsi. Quem usum si diligentius examinaveris, scriptores hominibus notos sine ulla fere exceptione esse nominatos aut aliquo modo notatos videbis ut apud Ciceronem, sive Plutarchus opus ipsum significavit sive personas nominavit, de quibus agitur. Interdum etiam titulum libelli compilati affert vel conexum rerum plenius exposuit. Locis ex solutae orationis scriptoribus petitis auctoris nomen, si aliud nihil, praeponendum fuisse nemo negabit, nam tantummodo hac ratione verba non ipsius Plutarchi esse indicari potuit; contra carminum versus iam forma et numero satis a reliquo sermone differebant. Eo factum est, ut apud solutae orationis auctores crebro tituli quoque librorum allati sint ut 1034 D: ὁ δὲ Κλεάνθης ἐν Ὑπομνήμασι Φυσικοῖς εἰπὼν ὅτι »πληγὴ πυρὸς ὁ τόνος ...« At Homerus raro nominatus est; saepe etiam Euripidis et Hesiodi nomina celantur, unde concluditur, quod etiam aliunde constat, illos poetas tum notissimos fuisse lectoribus. De Homero certe constat fuisse, qui universa eius carmina memoria tenerent. Praecipue Homeri versibus Plutarchus liberrime usus est, quos haud raro quasi suos omni inductione omissa et sine nexu interposuit, sicut nos, ut res fert, sententias divinas sermoni inteximus. Quae infra paulo copiosius tractabo. Attamen temperare mihi non possum, quin iam hic nonnulla huius liberioris consuetudinis exempla proferam, quae exstant

15 C: καὶ περὶ τῆς ποιητικῆς ἔστιν εἰπεῖν ὅτι »φάρμακα πολλὰ μὲν ἐσθλὰ μεμιγμένα πολλὰ δὲ λυγρά« τοῖς χρωμένοις ἀναδίδωσιν, et 422 D: ὑπομνησθέντος δὲ τοῦ Δημητρίου »ταῦτ'«, ἔφην, »ἐπέρχεται κἀμοὶ περὶ τοῦ ξένου εἰπεῖν

ἦ τις θηητὴρ καὶ ἐπίπλοκος ἔπλετο

δογμάτων τε καὶ λόγων παντοδαπῶν ...« et 481 A: ὁ γὰρ ... τοὺς υἱοὺς ὁμονοεῖν παρακαλῶν »ἄλλων ἰατρὸς αὐτὸς ἕλκεσιν βρύων« ἀσθενῆ ποιεῖ. Est etiam ubi Plutarchus non ipse Homeri verba laudet, sed alios inducat, qui ea afferant, ut 61 B: ἡ μὲν γὰρ γυνὴ καταλιποῦσα βασιλείαν τοσαύτην καὶ διατριβὰς εὐδαίμονας φθείρεται μετὰ σοῦ στρατευομένη, σχῆμα παλλακίδος ἔχουσα· »σοὶ δέ τις ἐν στήθεσσιν ἀκήλητος νόος ἐστὶ« καὶ περιορᾷς αὐτὴν ἀνιωμένην; similiter 63 D.

Sed iam quaestionem, a qua digressa erat oratio, prosequamur. Vario enim modo auctoris nomen proferri potest, quod plerumque subiectum grammaticum esse verbi dicendi consentaneum est ut Ὅμηρος ἔφη (347 E), Αἴσχυλος εἶπεν (417 C) similiaque multa; lubenter genetivo absoluto scriptor utitur vel κατὰ praepositione; interdum denique nomen proprium in adiectivi formam convertit; accipe exempla 23 C: τοῦ δὲ Σοφοκλέους λέγοντος »τυφλὸς γάρ, ὦ γυναῖκες ...« 25 C: ἐν δὲ τοῖς πράγμασι καὶ τῷ βίῳ τῶν πολλῶν κατὰ τὸν Εὐριπίδην »οὐκ ἂν γένοιτο χωρίς ...«; item 16 A; 9 E: τὸ γὰρ Ἡσιόδειον καλῶς εἴρηται· »εἰ γάρ κεν καὶ σμικρόν ...« adde 418 C et 483 C. Saepe inductionem sententia comparativa, quae ex καθάπερ, οἷον, ὡς, ὥσπερ particulis incipit, complectitur; ita legimus 19 C: καθάπερ ὁ Μένανδρος ... πεποίηκεν· »ἐμοὶ μὲν οὖν ἄειδε ...« 23 Ba: οἷον εὐθὺς ὁ Ἀρχίλοχος, ὅταν ... λέγῃ »κλῦθ' ἄναξ Ἥφαιστε ...«, 416 E: ὡς Εὐριπίδης εἴκασεν ἐν οἷς εἶπεν· »ὁ δ' ἄρτι θάλλων ...«, 454 Ea: ὥσπερ ἡ Ἑλένη τὴν ἀδελφιδῆν προσαγορεύσασα »παρθένα μακρὸν δὴ μῆκος ...«

Ubi formula ὥς φησι ... (29iens) exstat, semper scriptor nominatur; quae formula aut ante aut post aut inter ipsa verba aliena poni potest, id quod docent haec exempla: 47 E: οὐ γὰρ μόνον, ὥς φησι Φωκυλίδης, »πολλ' ἀπατηθῆναι διζήμενον ...« et 48 A: »οὕτως ὁδὸς βραχεῖα γίγνεται μακρά« ὥς φησι Σοφο-

κλῆς et 336 B: »εἰ μὲν γάρ«, ὥς φησιν Ἐπίχαρμος, »νοῦς ὁρῇ . . .«

Inter pronomina particulasque demonstrativas primum locum obtinet οὗτος (27iens positum); praeterea invenies ὅδε (bis), τοιοῦτος (11iens), ἐκεῖνος (9iens), ταυτί (12iens), οὕτω (9iens), ὧδε (ter), ὡδί (semel); quorum numero nescio an articulus neutrius generis τό ascribendus sit, qui interdum (47iens), vim demonstrativam habere videtur, ut 1048 F: ὥστ' . . . εἰπεῖν ἂν αὐτὸν τὰ τοῦ Ἡρακλέους· »γέμω κακῷ δή . . .« vel 17 B: τὸ δὲ »Ζεύς, ὅς τ' ἀνθρώπων . . .« nec raro ad proverbia sententioseque dicta inducenda usurpatur, ut 49 B: ἀντιτάττεται γὰρ ἀεὶ πρὸς τὸ »γνῶθι σαυτόν«. cf. 50 F; vel 71 F: προσακοῦσαι τὸ »ἄλλων ἰατρὸς αὐτὸς ἕλκεσιν βρύων«. Denique eum memoro locum, quo Plutarchus inductionem verbis inducendis postposuit, dico 16 E b: οὐκ ὀκνήσει πρὸς ἑαυτὸν εἰπεῖν »ἀλλὰ φόωσδε τάχιστα . . .« καὶ γὰρ τοῦτο χαριέντως Ὅμηρος εἰς τὴν νέκυιαν εἶπεν, ὡς γυναικὸς ἀκρόασιν οὖσαν διὰ τὸ μυθῶδες. Nonnunquam accidit ut Plutarchus continuam seriem locorum aliunde petitorum afferat; ibi inductio una sufficit; nomina tantum auctorum, si quidem diversa sunt, per καί copulam adiciuntur, ut 17 E: καὶ τὰ Ἐμπεδοκλέους ἔστω πρόχειρα ταυτί »οὕτως οὔτ' ἐπιδερκτά . . .« καὶ τὰ Ξενοφάνους »καὶ τὸ μὲν οὖν σαφές . . .«

Restant tres loci, quos separatim appono: 866 D: μηδὲν τοιοῦτο τοῦ Λαμψακηνοῦ Χάρωνος ἱστοροῦντος, ἀλλὰ ταυτὶ γράφοντος κατὰ λέξιν »Ἀθηναῖοι δ' εἴκοσι τριήρεσιν ἔπλευσαν . . .« Hic igitur Plutarchus verbis κατὰ λέξιν (i. e. ad verbum) se verba scriptoris ipsa attulisse pro certo affirmat. Scilicet non semper tam accurate verba citantur. Fidem veterum scriptorum in alienis commemorandis haud ita magnam fuisse et alii et Stemplinger l. l. p. 242 sqq. demonstravit. Quod ego postmodo pluribus illustrabo. Idem valet de locis 1034 D et 1039 D.

Pergamus! Ὅτι vel ὡς coniunctionibus utitur Plutarchus, ubi ampliorem ex soluta oratione locum exhibet, ut 56 B: ἐν μὲν γὰρ ταῖς στάσεσι καὶ τοῖς πολέμοις ὁ Θουκυδίδης φησὶν ὅτι »τὴν εἰωθυῖαν ἀξίωσιν . . . ἐπὶ πᾶν ἀργόν« (adde 1034 D); sed etiam ubi versus affertur 463 D: ὁ δὲ Σοφοκλῆς λέγων

ὅτι »τὰ πλεῖστα φωρῶν αἰσχρὰ φωράσεις βροτῶν«. Adde 15 C; 482 F; 491 C. Nimirum ὅτι et ὡς aptissima videntur esse, quibus adhibitis ordo formaque verborum afferendorum immutata manere possint. Qua observatione ad orationem obliquam ducimur, qua veteres ad aliorum sententias laudandas persaepe usos esse inter omnes constat. Quam tamen tractare meum non est; nam oratione indirecta plerumque non nisi summa libri breviter comprehenditur. Magis memorabile est Plutarchum hic illic aliena verba per se ipsa posuisse aut nulla re adiecta (cf. 97 C) aut ita, ut inductionem separata sententia complectatur (cf. 456 B). Idem de Cicerone observavimus. Persaepe denique verba laudanda suis ipsius verbis et sententiarum structurae accuratissime aptavit, qua de arte iam apud Ciceronem obvia p. 17 disserui. Exempla sint: 41 F: αἱ δὲ (sc. μέλισσαι) . . . ἐπὶ τὸν τραχύτατον καὶ δριμύτατον θυμὸν καταίρουσι καὶ τούτῳ προσκάθηνται »ξανθὸν μέλι μηδόμεναι« καὶ λαβοῦσαί τι τῶν χρησίμων ἀποπέτονται πρὸς τὸ οἰκεῖον ἔργον, vel 456 A: ὥσπερ τὸ τῶν βουκόλων »κηρόπλαστος ὀτοβεῖ δόναξ ἀρχέτας ὑπνοδόταν νόμον« ἐπιθέλγων καὶ καθιστὰς τὴν ὀργὴν τοῦ ῥήτορος, cf. 15 C; 100 Db; 100 Eb; 116 C; 118 F etc. Interdum talia lumina orationis in ipso initio vel fine sententiae posita sunt, quod his exemplis probatur: 98 F:

»οὐ γὰρ πυγμάχοι εἰμὲν ἀμύμονες οὐδὲ παλαισταί
οὐδὲ ποσὶ κραιπνῶς θέομεν«,

ἀλλ' ἐν πᾶσι τούτοις ἀτυχέστεροι τῶν θηρίων ἐσμέν, et 20 A: ὅτι μουσικὴ φαύλη καὶ ᾄσματα πονηρὰ ἀκόλαστα ποιοῦσι ἤθη καὶ βίους ἀνάνδρους καὶ ἀνθρώπους τρυφὴν καὶ μαλακίαν ἀγαπῶντας

»εἵματα τ' ἐξημοιβὰ λοετρά τε θερμὰ καὶ εὐνάς.«

Haud raro Plutarchus, cum res in Iliade vel alibi narratas soluta oratione breviter complectitur, ipsius poetae versum suis verbis inserit, qua ratione sermonis alacritas augetur.

Versibus non integris Plutarchus 83iens utitur, i. e. fere 15%; nam scientibus scribit, quos primis vocibus admonuisse sufficiat, ut 26 C (cf. p. 25), ubi ex longiore carmine selecta posuit, vel 23 C: καθάπερ αὖ τὸν χαλκὸν Ὁμήρου λέγοντος

»τῶν νῦν αἷμα κελαινὸν ἐύρροον ἀμφὶ Σκαμάνδρου
ἐσκέδασ' ὀξὺς Ἄρης.«

Restat ut de contaminationibus dicam. Nam 114 E i: ὥστ' ἐπιφθέγξασθαι τὸ Ὁμηρικόν

»μυρομένοισι δὲ τοῖσι — μέλας ἐπὶ ἕσπερος ἦλθε«

Plutarchus duos versus dimidiatos, quos ex Odyssea I 423 et Iliade XXIII 103 petivit, ita conflavit, ut unum integrum versum efficerent, et 109 F:

»ἄλγος« γὰρ ὄντως »οὐδὲν ἅπτεται νεκροῦ«
»τὸ« γὰρ »μὴ γενέσθαι τῷ θανεῖν ἴσον λέγω.«

Hic adeo duorum poetarum versus copulavit, qui locus id peculiare habet, quod voculae γὰρ ὄντως interpositae sunt, quibus Aeschyli non nominati senarius expleatur, et iterum γὰρ in versum proximum inculcatur. Similes locos non nisi hos inveni: 102 B; 103 B; 103 F; 106 D a, iique omnes in eo libro, qui inscribitur Consolatio ad Apollonium, quam rem fortasse admirabilem aliquis dixerit. Sed enim satis constat hanc consolationem genuinam non esse. Volkmannus certe l. l. p. 129 sqq. ad hunc finem pervenit, ut auctorem huius consolationis dicat »einen mittelmäßigen mit der rhetorischen Kunst nicht eben besonders vertrauten Schriftsteller . . ., als welchen wir doch einen Plutarch nicht werden betrachten können« (l. l. p. 136). Idem Volkmannus (l. l. p. 137 sqq.) locos hic laudatos frequentiores et longiores (cf. p. 24) orationisque contextui minus aptatos esse vidit, quam ut Plutarchus ipse sermonis auctor sit. Fuhrius in Mus. Rhen. XXXIII, p. 590 Volkmannum secutus addidit observationem de copulis τε καί, nec non et Pohlenz [1]) l. l. p. 15 sq. hoc Plutarchi scriptum negavit esse. Accedunt ea quae nos supra explicavimus, ita ut hunc libellum spurium esse eo confidentius affirmem.

2.

Haec habui de Plutarcho, cui iam adiungendus est Seneca philosophus, cuius epistulas morales percensui. Iam vero Seneca quamquam saepissime suum sermonem aliorum sententiis variavit, tamen in hac consuetudine non tantopere modum

---

1) M. Pohlenz, De Ciceronis Tusculanis, Progr. Göttingen 1909.

excessit quam Plutarchus, cui ceterum multis rebus assimilis est, quod attinet ad elocutionem.

Etiam hic incipiendum est ex verbis dicendi. Praevalent et *dicere* (22[iens]) et *aio* (14[iens] antepositum, 11[iens] interpositum); *inquit* interpositum omnino non nisi 5[iens] inveni atque id quidem locis allatis ex solutae orationis auctoribus, ut ep. 12, 7: ideo Heraclitus, cui cognomen fecit orationis obscuritas, »unus« *inquit*, »dies par omni est«.

Sed alia quoque ratione verba prosae orationis inducuntur; videas ep. 114, 17 a: *Est apud Sallustium:* »exercitum argento fecit«, id est, pecunia paravit; vel ep. 24, 22 obiurgat Epicurus non minus eos, qui mortem concupiscunt, quam eos, qui timent, et *ait:* »ridiculum est currere . . .« vel ep. 114, 19 b: quodam loco *dicit* Sallustius: »inter arma civilia . . .« Ita Seneca. Contra Ciceroni lex fuit, ut *inquit* interponeretur, etiam tum, cum alio dicendi verbo verba aliena induceret. Iam vero Seneca alia quoque verba multa usurpavit: *exclamare* (59, 17), *eloqui* et *adloqui* (19, 9 et 107, 10), *recitare* (122, 12), *referre* (8, 9) *scribere* et *adscribere* (7, 11; 86, 16); tum verba imperandi vel hortandi: *mandare* (3, 6) et *suadere* (25, 6), talia denique, quae orationis summam comprehendunt, dico *probare* (58, 3) et *colligere* vel *collectione uti* (83, 9; 82, 9). Interdum sufficit unum substantivum, quo orationis genus indicatur. Quae omnia nobis iam apud Plutarchum (supra p. 24) occurrerunt; sed Seneca has formulas inductorias rarius exhibuit nec scriptorem Graecum varietate adaequavit. Semper fere Seneca auctoris nomen ponit vel aliquo modo denotat Vergilio Ovidio Horatio exceptis, quos quidem omnibus notissimos fuisse consentaneum est. Equidem tantum 7 locos ab hac regula excipiendos repperi (20, 5 et 109, 16 Sallusti, 56, 5 Varronis Attacini, 94, 28 a; 108, 9; 108, 11 Publili Syri, 95, 53 Terenti verba afferuntur celato auctoris nomine), id quod vix vicesimam partem omnium locorum efficit neque in hoc magno exemplorum numero (sunt 135 quae collegi), ullius momenti est. Accedit quod ibi dicteria inferuntur, quae tum in omnium ore erant ac proverbiorum fere loco habebantur, ita ut auctorem nominare necesse non esset.

Priusquam progrediamur paululum versandum est in iis locis, quos Seneca ex Vergilio repetivit (sunt 63!) et tamquam lumina suae orationi intexuit. Nam Vergili verba liberrime usurpans Seneca Plutarchum, qui Homeri versibus liberius usus est, adaequat, immo vero superat. Plerumque poetam non nominavit, sed aliquos versus eius haud semper integros, per se ipsos nullaque inductione praemissa suae orationi inmiscuit (cf. 49, 7: Non vacat mihi verba dubie cadentia consectari et vafritiam in illis meam experiri. »*adspice qui coeant populi, quae moenia clusis ferrum acuant portis*« magno mihi animo strepitus iste belli circumsonantis exaudiendum est) vel plane ad suam orationem accommodat, id quod frequentissime fecit. Itaque Birtium [1]) optime puto coniecisse, cum dicat de tranqu. 4, 5: si a prima te rei publicae parte fortuna summoverit, *stes tamen et clamore iuves* . . . ultima quinque verba, quibus dactyli efficiuntur, aliunde ex poeta ignoto esse petita. Saepius enim Seneca aliena verba hac ratione suae orationi inserit; vide 92, 30 vel 92, 34, ne alios locos afferam. Monendum tamen est eodem loco de tranqu. 4, 5 antecedere verba haec: »*stat tamen et virtute iuvat*« et ipsa quoque dactylica; itaque ego haec potius verba genuinam formam versus ignoti poetae praebere statuerim. Duabus causis ad hanc opinionem adductus sum. Primum Seneca aliena verba ubi liberius affert, in fine sententiae ponere solet, id quod in epistulis ter decies fecit — omnes locos collegi: ep. 31, 11; 41, 2; 64, 4; 82, 16; 89, 17; 90, 9; 90, 11; 90, 20; 90, 37; 102, 30; 104, 10; 104, 31; 107, 3 —, bis tantum (92, 30 et 92, 34) ea in mediam sententiam inseruit. Deinde vero similius esse puto Senecam, cum ter parvis tantum spatiis interiectis eadem poetae verba usurpaverit, primo loco quam altero vel tertio veram versus formam exhibuisse. Ergo »*stat tamen et virtute iuvat*« verba ipsa fuerunt poetae non nominati, contra in verbis »*stes tamen et virtute iuves*« et paulo infra »*stes tamen et silentio iuves*« Seneca versum in suum usum detorsit.

Quod ad alias inductionis partes attinet, velim memineris

---

1) Th. Birt, Aus dem Leben der Antike, Leipzig 1918 p. 261 adn. 79.

quod supra p. 25 diximus. Quod cum etiam in Senecam cadat, hic quidem nonnulla exempla proferre satis habeo; vide 94, 46: M. Agrippa . . . dicere solebat multum se huic debere *sententiae:* »nam concordia parvae res crescunt, . . .« vel 94, 25: Illa hoc loco *in Vatinium* Calvi repetenda sententia est: »factum esse ambitum scitis, et . . .« vel 19, 9: Volo tibi hoc loco referre dictum Maecenatis vera in ipso eculeo elocuti: »ipsa enim altitudo attonat summa«. si quaeris, *in quo libro* dixerit: *in eo qui Prometheus inscribitur.* Ut intellegas qua ratione formulae inductoriae ipsae cum reliqua oratione coniunctae esse soleant, te ad id revoco, quod p. 26 sq. disserui; itaque exempla sufficiant: 108, 32: *tamquam* ait Cicero: »quoniam sumus ab ipsa calce . . .«, 94, 27: *sicut*[1]) illa Catoniana »emas non quod opus est, sed . . .«, 94, 43: *velut* his brevissimis vocibus, sed multum habentibus ponderis: »nil nimis . . .«, 28, 3: Talem nunc esse habitum tuum cogita, qualem Vergilius noster vatis inducit: »bacchatur vates, magnum si . . .«, 106, 8: »Tangere enim et tangi nisi corpus nulla potest res«, *ut ait Lucretius.*

Inter demonstrativa quibus Seneca haud minus saepe usus est Plutarcho, regnat *hic*, quod 20^iens^ exhibet; praeterea usurpata sunt *ille* (14^iens^), *sic* (ep. 87, 39), *eiusmodi* (108, 11), denique *ecce*, quod exstat ep. 15, 9: *ecce* insigne praeceptum: »stulta vita ingrata est . . .«. De quo loco plura verba facere liceat. Nam Birtius in Mus. Rhen. LXX, p. 545 sagacissime ac dilucidissime illum locum, qui exstat in ipso initio quartae saturae Iuvenalis: »ecce iterum Crispinus«, quem quidem plerique falso acceperunt, nova ratione interpretatus est »ecce« vocabuli usurpatione observata; monet enim vir doctissimus »ecce« semper alteram personam appellare aut non usurpari nisi alius adsit, qui audiat sive in epistula sive in sermone, atque tum maxime ad exempla afferenda exhiberi. Quae quidem loco supra allato clarissime comprobantur. Confer etiam Cic. Tusc. I 106; III 44a; de fin. IV 76.

---

1) Etiam ep. 16, 7: *sicut* quoque ab Epicuro dictum est: »si ad naturam vives . . .« codices, nec Buechelerus sequendus est, qui *istud* coniecit.

Superest aliud. Demonstrandum est, qua libertate Seneca haud raro verba auctorum suorum immutaverit, quo facilius sententiarum ordini inserantur; id factum est exempli gratia 110, 1: sed hunc inferioris notae ex eorum numero, quos Ovidius ait »de plebe *deos*«, cum Ovidius met. I 594 scripsisset »de plebe *deo*«. Itaque indicem huiusmodi locorum adiciam. Nonnulla iam Birtius l. l. p. 31 (cf. supra p. 5) collegit atque explicavit. Me eos tantum locos infra attulisse monendum est, in quibus codices aut omnes aut optimae notae verba Senecae a verbis auctorum, quibus usus est, discrepare testantur: ep. 28, 1: licet, ut ait Vergilius, »terraeque urbesque *recedant*«, Verg. Aen. III 72: *recedunt;* ep. 49, 7: ». . . quae moenia *clusis* ferram acuant portis, Verg. Aen. VIII 385: *clausis;* ep. 58, 2: »est *lucum* Silari *iuxta* ilicibusque virentem *plurimum* Alburnum volitans, cui nomen asilo«, Verg. Georg. III 146 sq.: *lucus, circa, plurimus;* ep. 66, 2: »gratior et pulchro veniens *e* corpore virtus, Verg. Aen. V 344: *in* corpore; ep. 76, 33: ». . . omnia praecepi atque animo mecum *ipse* peregi, Verg. Aen. VI 105: *ante;* ep. 80, 7: »En impero Argis: *regna* mihi liquit Pelops . . .«, Inc. poet. trag. Ribb. I², p. 249: *sceptra* (ex Quintiliano IX 4, 140); ep. 85, 4: ». . . gramine ne *cursu teneras* laesisset aristas«, Verg. Aen. VII, 809: *teneras cursu;* ep. 86, 13: »pastillos *Bucillus* olet«, Horat. sat. I 2, 27 *Rufillus*; ep. 86, 16: »vere fabis *satio est: tunc* te quoque . . .«, Verg. georg. I 215: deest »*est*«*: tum;* ep. 88, 16: ». . . hora *nec* insidiis noctis capiere serenae«, Verg. georg. I 426: *neque;* ep. 90, 20: ». . . *quod lato paviunt* insecti pectine dentes«, Ovid. met. VI 57 sq.: *quod* digiti expediunt atque inter stamina ductum percussu *paviunt* . . .; ep. 95, 11: »quoque eadem *rursus* natura perempta resolvat«, Lucret. I 57: *rursum*; ep. 97, 4: »*accersivit* ad se . . .«, Cic. ad. Att. I 16, 5: *arcessivit;* ep. 98, 4: »dis aliter visum *est*«, Verg. Aen. II 428: deest »*est*«*;* ep. 101, 4: »insere nunc, Meliboe, piros, pone *in* (Cod. A B) ordine vites«, Verg. ecl. I 73: deest »*in*«*;* ep. 104, 31: »*Atriden* Priamumque et saevom ambobus *Achillen*, Verg. Aen. I 455: *Atridas, Achillem;* ep. 110, 1: quos Ovidius ait »de plebe *deos*«, Ovid. met. I 595: *deo;* ep. 110, 6: ». . . *ita* nos

in luce timemus, Lucret. II, 56: *sic;* ep. 118, 1: ut etiam, »si rem nullam *habebit*, quod in buccam venerit, *scribat*«, Cic. ad. Att. I 12, 4: *habebis, scribito.*

Magnam me locorum seriem attulisse vides. Sed distinguendi sunt tales loci, qui consulto mutati, ab iis, qui tantum neglegentia quadam vel errore a genuina forma remoti sint; atque hi quidem plurimi; nam dubitari non potest, quin veteres scriptores plerumque ex memoria aliorum auctorum verba protulerint; vide praecique quod Stemplinger l. l. p. 242 sqq. fusius de hac re disseruit. Quid vero facilius est quam memoria labi? De industria eum locum, qui exstat ep. 110, 1 esse commutatum iam supra p. 33 commemoravimus; similia invenies ep. 28, 1 et 118, 1. Paulo aliter res se habet ep. 90, 20 (vide supra), ubi Seneca uno fere versu Ovidiano omisso illud *lato* in spatio posuit, quo versum expleret.

Locos ex Graecis scriptoribus petitos Seneca non nisi in Latinum sermonem versus attulit, ut ep. 49, 12: nam ut ait ille tragicus: »veritatis simplex oratio est«. Graeca verba (Eurip. Phoen. 469: *ἁπλοῦς ὁ μῦθος τῆς ἀληθείας ἔφυ*) cum his comparanti perspicuum erit Senecam ad verbum vertisse. Sin autem Graecos versus in Latinos versus translaturus est, longam excusationem praeponit, quod verbum e verbo exprimere non possit et exempli elegantia diminuatur vertendo. Ipsa ponam verba Senecae: ep. 107, 10: et hic adloquamur Iovem, cuius gubernaculo moles ista derigitur, quemadmodum Cleanthes noster versibus disertissimis adloquitur, quos mihi in nostrum sermonem mutare permittitur Ciceronis, disertissimi viri exemplo. Si placuerint, boni consules; si displicuerint, scies me in hoc secutum Ciceronis exemplum.

»duc, o parens celsique dominator poli,
quocumque placuit: nulla parendi mora est.«

Semel tantum verba Graeca lingua conscripta suae orationi inmiscuit, dico ep. 99, 25; sed hic quoque versionem Latinam praeposuit, Graeca tantummodo auctoritatis ac perspicuitatis causa adiecit.

Saepius Seneca quam Plutarchus non modo versus diversos eiusdem poetae in unum conflavit, ut ep. 82, 16 et 108, 9, sed

etiam diversorum scriptorum nulla inductione praeposita ut ep. 94, 43; 108, 11; 115, 14; 94, 28, ubi adeo versum a Vergilio non perfectum ipse explevit.

Iam ut ad finem veniam disserendi, singularem quendam locum afferam, quo Seneca in ipso initio epistulae verba aliena quasi thema tractandum posuit, id quod Paradoxa Ciceronis et quod ibi dixi de more praedicationum nostrae ecclesiae (p. 16 sq.) in memoriam vocat. Dico ep. 124, 1:

»Possum multa tibi veterum praecepta referre
ni refugis tenuisque piget cognoscere curas«

non refugis autem nec ulla te subtilitas abigit. — Idem nobis etiam apud Plutarchum 97 C (cf. p. 28) occurrit. In scriptis Senecae hic unus locus ita comparatus est; sane in primis epistulis crebro dicta cum aliorum tum Epicuri similem in modum adhibita inveniuntur, sed ea non in initio, sed in fine posita, ut Lucilio suo *diurnas mercedulas* daret, sic ut nos forte cottidie sententiam aliquam ex scriptura sacra petitam tesserae loco deligimus, et eatenus etiam hi loci cum locis supra commemoratis propinquitate quadam coniuncti sunt. Duos affero, quibus maxime intellegi potest, quid illa dicta sibi velint; ep. 2, 3 sq.: distringit librorum multitudo . . . probatos itaque semper lege et si quando ad alios deverti libuerit, ad priores redi aliquid cotidie adversus paupertatem, aliquid adversus mortem auxilii conpara. nec minus adversus ceteras pestes et cum multa percurreris, unum excerpe, quod illo die concoquas. hoc ipse quoque facio. ex pluribus quae legi aliquid adprehendo. hodiernum hoc est, quod apud Epicurum nanctus sum; soleo enim et in aliena castra transire, non tamquam transfuga, sed tamquam explorator. »honesta«, inquit, »res est laeta paupertas«; et ep. 11, 8: Iam clausulam epistula poscit. accipe, et quidem utilem ac salutarem, quam te affigere animo volo: »aliquis vir bonus nobis diligendus est ac semper ante oculos habendus, ut si tamquam illo spectante vivamus et omnia tamquam illo vidente faciamus.« Hoc, mi Lucili, Epicurus praecepit. Adde ep. 3, 6; 4, 10; 5, 7; 6, 7; 7, 11 sqq.; 8, 7; 9, 6; 10, 5; 12, 10; 13, 11; 14, 17 etc. etc., qui quanta varietate ordinati sint, magnopere miraberis.

3.

Mirum fortasse cuipiam videatur apud Plutarchum praecipue et Senecam philosophum hunc aliena laudandi usum tantopere esse excultum, ut paene in morbum abiret; nimirum valuit in iis diatribae cynicae exemplum. Notum enim est in diatribis Cynicos studiosissime poetarum versus, imprimis Homeri Euripidis comicorum usurpasse (cf. Wachsmuth l. l. p. 69 sq.), ut sententias suas illustrarent ac confirmarent; cf. etiam Wilamowitzium l. l. p. 312.

Inspiciamus modo Teletis fragmenta, ex quibus nobis etiam de Bione coniecturam facere licebit. Haec habe: Teles 30, 3 (ed. Hense[2]): ὥσπερ καὶ ὁ Πολυνείκης ἐντέλλεται· »θάψον δέ μ' ὦ τεκοῦσα καὶ σὺ σύγγονε . . .« aliena inducuntur adhibita sententia comparativa, quae continet verbum imperandi et personam, de qua agitur; cf. p. 24, 25, 26. Teles 42, 4: ἄπληστον γὰρ ἔχουσι κακὸν νόον, quae verba nullo nexu interposita sunt; cf. p. 27; Teles 45, 6: οὐ κακῶς δὲ καὶ Θέογνις λέγει· »πολλῷ τοι πλείους λιμοῦ κόρος ὤλεσεν ἄνδρας« verbo dicendi versus inducitur addito poetae nomine; cf. p. 24 et 25; Teles 51, 1: καὶ

»ἡ νεότης μοι φίλον, τὸ δὲ γῆρας
βαρύτερον Αἴτνης.«

Hic versus non integri cum reliquis coniuncti sunt, cf. p. 28.

Iam haec sufficiant de Telete. cuius nimium usum poetarum — in paucis fragmentis, quae habemus, 24iens versus affert, ne dicam de multis locis ex pedestris orationis auctoribus desumptis — ipso genere cynico esse excusandum Hense in praefatione editionis suae p. XLII monet. De vestigiis autem diatribae apud Plutarchum obviis opusculum composuit Seidelius, qui cum ad alia tum ad hanc ipsam consuetudinem citandi attendit (l. l. p. 13). De eadem re Wendlandius verba fecit (l. l. p. 43). Similiter autem res se habet apud Senecam philosophum, cuius de scriptis idem Wendlandius l. l. p. 42 iudicium tulit; nec minus Henricus Weberus in opusculo suo p. 26 crebriorem versuum usurpationem, quam offert Seneca, diatribae Bioneae proprium esse demonstrat. Affirmamus igitur

Plutarchi ac Senecae cupiditati aliena laudandi comparato diatribarum cynicarum exemplo lucem afferri.

CAPUT TERTIUM

DE NOVO TESTAMENTO.

His rebus peractis etiam scripta Novi Testamenti excutere et ad hanc quaestionem, quam instituimus, adhibere iucundum erit nec vero inutile. Quaeritur enim id maxime, num ratio citandi in eo adhibita nexum aliquem habeat cum litteris paganis an ex sola ratione loquendi Veteris Testamenti suspensa sit. Atque peculiaria quaedam in eis se inventurum nemo non exspectabit, cum magnam partem et a viris indoctis composita sint et longe aliud propositum teneant ac reliquae litterae antiquae. Novi enim Testamenti scriptores, cum praecipue ad tales homines se converterent, quorum quales res proferrentur plurimum, quali sermone proferrentur nihil intererat, iam ea de causa ornamenta cultumque orationis parvi fecerunt. Et cum apud Graecos et Romanos saepissime non nisi orationis exornandae gratia aliena verba inferantur, in Novo Testamento solum confirmandis praeceptis et vaticiniis explicandis inserviunt suntque quasi testes in causa dicenda. Vix una in eo pagina caret locutionibus vel vocabulis, quae ex recordatione Veteris Testamenti fluxerunt. Quibusnam de locis et qua de re ageretur, iam p. 7 explanavi.

Omnes locos Veteris Testamenti in Novo Testamento commemoratos diligentissime collegit H. B. Swete l. l. p. 386 sqq. Multi loci formulis inductoriis carent; quos quomodo distinguamus ab eis, qui solum ex memoria incerta manaverint, plerumque in opinione positum esse etiam Eugenius Huehn concedit, qui l. l. p. 272 sqq. accuratissimum indicem formularum inductoriarum quae in Novo Testamento occurrunt composuit. Numerum locorum, quos ego et ille commemoratos esse

putamus, haud raro disparem esse non mireris neque exspectes me de fide vel fontibus locorum citatorum subtiliter disputaturum, quod longum est ac difficilius quam ut paucis absolvatur. Nec mihi diiudicandum puto, utrum ubique vis genuina verborum laudatorum conservata sit necne, neque retractanda quae nobis iam apud scriptores Graecos et Latinos occurrerunt. Praemoneam me Septuaginta inspexisse in Swetei illustrissima editione. Sed ad res ipsas adeamus.

1.

Summam auctoritatem nulla dubitatione admissa testificatio ibi habet, ubi ἡ γραφή adfertur, cuius testimonium refelli non potest, cum Deus ipse auctor sit. Eadem de causa cum pondere praedicari solent verba quae adferuntur ita *scripta esse* scilicet in libris sacris Veteris Testamenti haud ambigue Dei voluntatem declarantia. Ex 231 locis omnino in Novo Testamento laudatis 86 huc cadunt; exemplum sit Matth. 2, 5: οὕτως γὰρ γέγραπται διὰ τοῦ προφήτου· »καὶ σὺ Βηθλεέμ, γῆ Ἰούδα . . .« (= Micha 5, 1). Praeter hos 86 locos regnat fere consuetudo quam apud Graecos et Romanos invenimus; cf. Marc. 1, 2; 7, 6; 12, 19; Luc. 2, 23; 3, 4; 4, 17; 10, 26; 20, 28; Act. 7, 42; 13, 33; 15, 15; Ioh. 6, 45; 1. Cor. 14, 21, quibus locis commune illud est, quod fons, ex quo scriptor hausit, aliquo modo notatus est, sive auctoris nomen sive titulus libelli sive conexus rerum significatur, id quod necesse non fuit, cum evangelistae ipsi et ii, qui legerent, nullas fere litteras novissent nisi Veteris Testamenti libros. Itaque persaepe solum illud γέγραπται praepositum videmus ut Matth. 4, 10: γέγραπται· »οὐκ ἐπ' ἄρτῳ μόνῳ ζήσεται . . .« (5. Mos. 8, 3); cf. Matth. 4, 6; 7; 10; 11, 10; 21, 13; 26, 31; Marc. 11, 17; 14, 27; Luc. 4, 5; 8; 10; 7, 27; 19, 46; 20, 17; 22, 37; Ioh. 2, 17; 6, 31; 12, 14; Act. 23, 5; Rom. 1, 17; 2, 24; 3, 4; 10; 4, 17; 8, 36; 9, 13; 33; 10, 15; 11, 8; 26; 12, 19; 14, 11; 15, 3; 9; 21; 1. Cor. 1, 19; 31; 2, 9; 3, 19; 10, 7; 15, 45; 55; 2. Cor. 4, 13; 8, 15; 9, 9; Gal. 3, 10; 13; 4, 27; 1. Petr. 1, 16.

Nostrum autem est quaerere, unde haec ratio citandi initium ceperit. Quo in negotio primum eas litteras, quae Novo

Testamento proximae sunt, Veteris Testamenti libros, per≈censeamus, ubi sane idem γέγραπται quamvis multo rarius animadvertimus; non habeo nisi locos hos: 2. Reg. 1, 18: ἰδοὺ γέγραπται ἐπὶ βιβλίου τοῦ εὐθοῦς· »Στήλωσον, Ἰσραήλ, ὑπὲρ τῶν . . .« vel 3. Reg. 21, 9: καὶ ἐγέγραπτο ἐν τοῖς βιβλίοις λέγων· »Νηστεύσατε νηστείαν . . .« vel Hiob. 42, 17 a, qui locus additamentum est in Septuaginta apparens: γέγραπται δὲ αὐτὸν πάλιν ἀναστήσεσθαι —, quo loco tamen verba oratione indirecta afferri monendum est. Adde Ies. 65, 6; Ios. 8, 31 (5. Mos. 27, 5 sq.); 2. Reg. 14, 6 (5. Mos. 24, 16). Tales locos in Vetere Testamento rarissimos esse facile intellegitur, cum haec scripta, quibus ipsis Dei voluntas patefiat, vetustio≈ribus litterarum monumentis niti necesse non fuerit. Ab Apo≈cryphis quoque Veteris Testamenti scripturam sacram verbatim afferre alienum fuit, cum ipsa novam sapientiam proferrent. Tamen etiam in iis loci reperiuntur, quibus verba sumpta ex litteris sacris ratione supra notata laudantur, ut 1. Macc. 7, 16: κατὰ τοὺς λόγους, οὓς ἔγραψεν. »Σάρκας ὁσίων . . .« (Ps. 79, 2 sq.).

Adhuc talia solum exempla exhibui, quibus verba ipsa exscribuntur. Multo maiorem esse numerum locorum, ubi memoria eorum, qui legant, ad scripta sacra non allatis verbis revocetur, consentaneum est, ut 5. Mos. 28, 58: ποιεῖν πάντα τὰ ῥήματα τοῦ νόμου τούτου τὰ γεγραμμένα ἐν τῷ βιβλίῳ τούτῳ; cf. 5. Mos. 28, 61; 29, 20; 21; 27; 30, 10; Ios. 8, 34; 23, 6; 3. Reg. 2, 3; 8, 53; 1. Chron. 16, 40; 11, 41; 22, 39; 2. Chron. 23, 18; 32, 32 etc. vel 4. Reg. 23, 21 b: Ποιήσατε τὸ πάσχα κυρίῳ τῷ θεῷ ἡμῶν καθὼς γέγραπται ἐν τῷ βιβλίῳ τῆς διαθήκης ταύτης.

Hac via permultis locis γράφειν verbum vim mandandi, praescribendi, praecipiendi asciscit, ita ut τὰ γεγραμμένα plane verbis *lex, mandatum, praeceptum* verti possint, id quod hoc exemplo illustretur: 4. Reg. 22, 13: ποιεῖν πάντα τὰ γεγραμμένα καθ' ἡμῶν; cf. 4. Reg. 23, 3; 2. Chron. 31, 3; 1. Esra 6, 32; Esth. 3, 10; Baruch 2, 2 etc.

Nescio an inde consuetudo illa et forma citandi explicanda sit: nempe Veteris Testamenti scripta commentariorum, ex

quibus iuris consulti responsum dabant, vel tabularum loco habebantur, quibus Dei voluntas scripta esset. Qua de causa saepe hi libri ipsum διαθήκης nomen tulerunt [1]). Quemadmodum igitur patronus in causa dicenda documenta ac litteras, quibus fides inest, quasi testimonia excitat, quibus rem suam muniat, ita Novi Testamenti scriptores Veteris libros excitant, quibus suorum verborum fidem confirment. Maxime hoc elucet apud Paulum, qui semper fere, cum argumentatur, scripturae sacrae testimoniis utitur. Eodem modo ἡ γραφή (i. e. *libellus, liber scriptus accusationis*) documenti et testimonii instar adhibetur, ut saepissime apud Demosthenem; cf. de cor. 53: καί μοι λέγε τὴν γραφὴν αὐτὴν λαβών, cum apud Platonem interdum γραφή

1) Quod Iudaeorum et Christianorum cultum Veteris et Novi Testamenti nomine comprehendimus atque inter se opponimus, ex illo loco manavit qui exstat Ier. 31, 31: Ἰδοὺ ἡμέραι ἔρχονται, φησὶν κύριος, καὶ διαθήσομαι τῷ οἴκῳ Ἰσραὴλ καὶ τῷ οἴκῳ Ἰούδα διαθήκην καινὴν οὐ κατὰ τὴν διαθήκην ἣν διεθέμην τοῖς πατράσιν αὐτῶν . . . (cf. Hebr. 8, 8). Similia enuntiantur in evangelio Lucae 22, 20: τοῦτο τὸ ποτήριον ἡ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ αἵματί μου (cf. 1. Cor. 11, 26) et apud apostolos, ut 2. Cor. 3, 6: ὃς καὶ ἱκάνωσεν ἡμᾶς διακόνους καινῆς διαθήκης et 2. Cor. 3, 14: ἄχρι γὰρ τῆς σήμερον ἡμέρας τὸ αὐτὸ κάλυμμα ἐπὶ τῇ ἀναγνώσει τῆς παλαιᾶς διαθήκης μένει (cf. Hebr. 9, 15; 12, 24; Gal. 4, 24). Hinc διαθήκης nomen pro ipsius documentis positum est, qui usus quomodo ortus et promotus sit ex loco supra allato (2. Cor. 3, 14) intellegas. Iam apud Clementem Alexandrinum, Tertullianum, alios scriptores ecclesiasticos duplex index litterarum sacrarum Veteris ac Novi Testamenti nomine affertur; cf. Clem. Alex. Paed. I, § 33 (R. Klotz): αὐτὸς περὶ τούτου μαρτυρήσει ὁ ἀπόστολος τοὺς Ἰουδαίους κατὰ τὴν προτέραν διαθήκην κληρονόμους λέγων, item § 59: καινῷ δὲ καὶ νεῷ λαῷ καινὴ καὶ νεὰ διαθήκη δεδώρηται, Clem. Alex. Strom. II § 28: εἷς ἀμφοῖν ταῖν διαθήκαιν δείκνυται ὁ θεός, Epiphan. Haer. 29, 7: παλαιὰ διαθήκη, Euseb. Hist. eccles. IV, 5: αἱ ἱεραὶ γραφαὶ τῆς παλαιᾶς διαθήκης, Tertull. adv. Prax. 15: Si hunc articulum quaestionibus scripturae Veteris non expediam, *de novo testamento* sumam confirmationem nostrae interpretationis; item 20: his tribus capitulis totum instrumentum *utriusque testamenti* volunt cedere; Tertull. adv. Marc. 4, 1: *alterius instrumenti* vel, quod magis usui est dicere, *testamenti*; unde apparet Tertulliani temporibus *testamentum* pro *instrumentum* (i. e. *documentum, litterae, tabulae*) esse dictum. Denique est quod moneam Italam eaque duce Vulgatam quae nominatur *testamentum* ad Graecum verbum διαθήκη expressisse; cf. Gunkel in »Die Religion in Geschichte und Gegenwart« V 1147 et Wetzer und Welte, Kirchenlexicon XI ² 1430.

idem significet ac lex, ut leg. 876 E: ἡ δὴ γραφὴ περὶ τραύματος ὧδε κείσθω.

Hoc autem notatu dignum, immo gravissimum mihi videtur: Eo enim devenio ut γέγραπται similiaque ex usu forensi sumpta esse censeam. Libri Mosis qui nominantur νόμος sunt et quasi lex summae auctoritatis afferuntur, cui omnes obtemperare debeant, cum viri vere Iudaei, qui quasi in γράμμα librorum divinorum iurabant, nihil sanctius noverint quam ἐν νόμῳ βιωτεύειν (Sirach. prol. 4).

Premendum est, quae dixi tantummodo ad locos in Novo Testamento ex scriptura sacra citatos pertinere. Rarissime enim accidit, ut etiam ex profanis litteris sententias allatas videamus; hos dico locos: Act. 17, 28: ὥς καί τινες τῶν καθ' ὑμᾶς ποιητῶν εἰρήκασιν· »τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν«, quibus verbis Paulum apostolum et Cleanthem (hymn. in Iov. 5) et Aratum (Phaenom. 5), poetas stoicos designavisse Maassius optime monstravit (Aratea, Philol. Unters. XII p. 255); 1. Cor. 15, 33 b: φθείρουσιν ἤθη χρηστὰ ὁμιλίαι κακαί, quae verba ex Menandri Thaïde petita (Kock, Fragm. Com. Att. III, p. 82) ibi per se posita sunt nec cum sententiarum structura cohaerent; Tit. 1, 12: εἶπέν τις ἐξ αὐτῶν ἴδιος αὐτῶν προφήτης· »Κρῆτες ἀεὶ ψευσταὶ, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργαί«, quem versum Dielesius (Fragm. d. Vorsokr. p. 502 sq.) e prooemio Theogoniae ab Epimenide fabuloso vate Cretensi compositae repetitum esse coniecit. Fortasse etiam Iac. 1, 17: πᾶσα δόσις ἀγαθὴ καὶ πᾶν δώρημα τέλειον ... ex aliquo carmine epico sumptum est, versus certe non sine licentia prosodiaca formatus. Quid? quod in Act. 27, 23 legimus: οὐδενὸς γὰρ ὑμῶν θρὶξ ἀπὸ τῆς κεφαλῆς ἀπολεῖται, quem hexametrum ex litteris paganis assumptum esse sensit Birtius (Mus. Rhen. LXIX, p. 380); scilicet γὰρ illud ea libertate interiectum est, quam supra p. 29 in Plutarcho observavimus. Cum ethnicorum nomina respuerentur atque ea, quae Graeci scripserunt, pro litteris divinis futtilia haberentur, poetarum nomina celata sunt et unde verba illa sumpta sint apostoli parvi fecerunt.

Hic commemorare liceat in Novo Testamento verba ex Apocryphis recepta non exstare, tamen interdum haec scripta

significari ut Hebr. 1, 3 (Sap. Salom. 7, 26), Hebr. 4, 12 (Sap. Sal. 7, 22 sqq.), Hebr. 11, 34 sqq. (2. Macc. 6, 18 sqq.), Iud. 14 (Henoch 1, 19) etc.; cf. Kautzsch l. l. I, p. XII.

Iam vero in ipsis Graecorum litteris eadem ratio leges laudandi exhibita est. Quae exempla cum rarissima sint, omnes locos quos inveni afferam: Aristot. respubl. Athen. VIII 3: *διὸ καὶ ἐν τοῖς νόμοις τοῖς Σόλωνος οἷς χρῶνται πολλάκις γέγραπται· »τοὺς ναυκραροὺς εἰσπράττειν« καὶ »ἀναλίσκειν ἐκ τοῦ ναυκραρικοῦ ἀργυρίου«,* Thukyd. V 56, 2: *γεγραμμένον ἐν ταῖς σπονδαῖς διὰ τῆς ἑαυτῶν ἑκάστους μὴ ἐᾶν* . . . Xenoph. Oecon. XIV 5: *γέγραπται γὰρ ζημιοῦσθαι ἐπὶ τοῖς κλέμμασι* . . . Dittenb. Syll.[3] 402, 17: *ὅσα καὶ τοῖς Πύθια καὶ Νέμεα νικήσασι ἐν τῷ νόμῳ γέγραπται,* Dionys. Halic. 2, 27: *ἐκ τῶν Νομᾶ . . . νόμων, ἐν οἷς καὶ οὗτος γέγραπται· »ἐὰν πατὴρ υἱῷ συγχωρήσῃ* . . .« Dionys. Halic. V 50: *γεγραμμένον ἐν ταῖς συνθήκαις ἁπάσας παρεῖναι* . . . Plut. vit. Sol. 19, 4: *ὁ δὲ τρισκαιδέκατος ἄξων τοῦ Σόλωνος τὸν ὄγδοον ἔχει τῶν νόμων οὕτως αὐτοῖς ὀνόμασι γεγραμμένον· »ἀτίμων ὅσοι ἄτιμοι ἦσαν* . . .«, Athen. VI 27 (p. 235 c): *διὸ καὶ ἐν τῷ τοῦ βασιλέως νόμῳ γέγραπται ταυτί· »ἐπιμελεῖσθαι δὲ τὸν βασιλεύοντα . . . κατὰ τὰ γεγραμμένα.«* Adde p. 234 c et 235 d.

Unde factum esset, ut Athenis iuris prudentiae disciplina non excoleretur, ita ut de iure publico et civili commentarii non componerentur, G. Perrot[1]) p. 180 sqq. luculenter exposuit. Defuerunt scilicet ibi et iudices, qui ordinem suum hereditatis iure retinerent, et iuris consulti, qui legibus interpretandis operam darent, id quod Atheniensibus minime exoptatum fuit, ut Demostenes adv. Lept. 93: *Σκέψασθ᾽*, inquit, *ὃν τρόπον ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι ὁ Σόλων τοὺς νόμους ὡς καλῶς κελεύει τιθέναι, πρῶτον μὲν παρ᾽ ὑμῖν, ἐν τοῖς ὀμωμοκόσιν, παρ᾽ οἷσπερ καὶ τἄλλα κυροῦται, ἔπειτα λύοντα τοὺς ἐναντίους, ἵν᾽ εἷς ᾖ περὶ τῶν ὄντων ἑκάστου νόμος καὶ μὴ τοὺς ἰδιώτας αὐτὸ τοῦτο ταράττῃ καὶ ποιῇ τῶν ἅπαντας εἰδότων τοὺς νόμους ἔλαττον ἔχειν, ἀλλὰ πᾶσιν ᾖ ταὐτὰ γνῶναι καὶ*

1) Georges Perrot, Essais sur le droit public et privé de la république Athénienne. Le droit public, Paris 1867.

μαθεῖν ἁπλὰ καὶ σαφα τὰ δίκῆια. Accedunt exempla cum prioribus artissime nexa (cf. supra p. 39) haec, quae per electionem affero: Plat. Polit. 296 B: παρὰ τὰ γεγραμμένα τὸ βέλτιον ... δρᾶν, cf. Dittenb. Syll.[2] 511, 44; Demosth. in Theocr. § 24: οἵτινες ἂν διὰ τὴν αὑτῶν ἀπραγμοσύνην ἄκοντές τι τῶν γεγραμμένων παραβῶσιν ..., Dittenb. Syll.[3] 736, 5: κατακολουθήσειν τοῖς γεγραμμένοις, Dittenb. Syll.[2] 438, 13: κατὰ τὰ γεγραμμένα, cf. Dittenb. Syll.[3] 578, 40; 66; 955, 22; 1016, 6 etc.

Itaque consuetudinem citandi in Novo Testamento obviam a Graecorum usu loquendi omnino non abhorrere evici. Nec tamen haec sufficiunt, ex quibus peculiaris illa citandi formula repeti possit, praesertim cum tam rara exempla exstent. Sed etiam Romanorum loquendi usum in comparationem vocemus. Quantum momentum sermo Latinus in linguas provinciarum imperii Romani inde a Pompei Magni temporibus habuerit, Hahn l. l. patefecit, qui demonstravit praecipue negotia mercatorum, rem militarem, iurisdictionem Romanorum in provinciis plurimum valuisse. Iudices ibi magnam partem Latina lingua utebantur, unde multas locutiones, imprimis forenses, in sermonem indigenarum transisse facile intellegitur multisque exemplis id comprobari potest, ut τὸ ἱκανὸν ποιεῖν, λαμβάνειν = *satis facere, satis accipere* (Blass. l. l. p. 5), γραφομένῳ παρῆσαν = *scribendo adfuerunt* (Hahn[2], p. 38), διδόναι ἐργασίαν ὅτι = *operam dare ut*, ἐκ συγκλήτου δόγματος = *ex senatus consulto* (Hahn[2], p. 119), quae omnia ad verbum ex Latina lingua conversa sunt[1]). Hic etiam commemorandum puto, quanta inter Christi et Herculis in Senecae fabula ultima verba similitudo intercedat, qua de re W. Schmidtius[2]) p. 63 sq. disputavit.

Iam videamus, qua ratione in litteris Romanis leges afferantur. Regnat ibi fere illud *scribitur, scriptum est*; cf. Cic. in Verr. II 127: nempe ita *scriptum est*: »Quot renuntianti erunt.«

---

1) De vestigiis linguae Latinae in ipso Novo Testamento obviis cf. E. Hahn[2], p. 259 sqq.

2) Willibald Schmidt, De ultimis morientium verbis, Diss. Marburg 1914.

Varr. LL V 27: a quo *lege praediorum urbanorum scribitur:* »Stillicidia . . .«; Gell. XX 1, 12: ita *de iniuria poenienda scriptum est:* »si iniuriam . . .«; Fest. p. 273 (M): in secunda tabula *secunda lege, in qua scriptum est:* »quid . . . diffensus esto«; adde Cic. Tusc. III 11; de orat. I 245; pro Rosc. Am. 126; in Verr. III 35; IV 144; de leg. agr. I 17; II 67; de harusp. resp. 9; 20; de divin. II 42; Varr. LL V 163; VI 88; 92; Fest. p. 178 (M); Censor. de die nat. 24; Serv. ad Aen. VI 609; Gell. XV 13, 11; XVI 10, 5, sescentosque alios locos, quos enumerare longum est. Semper igitur verba citanda scribendi verbo inducuntur, id quod plane consuetudini Novi Testamenti respondet nec casu respondet, praesertim cum quo rarius leges apud Graecos eo crebrius apud Romanos hac ratione laudentur.

Alio quoque modo in litteris Latinis leges afferri inter omnes constat, ut Porphyr. ad Hor. sat. I 9, 76: de hoc autem *lege* XII tab. his verbis *cautum est:* »si in ius vocationi . . .«, vel Liv. I 26, 6: *lex* horrendi carminis *erat:* »Duumviri perduellionem indicant«; sed haec non ad nostram quaestionem pertinent.

Aeque atque de illis locis, quos p. 38 sq. tractavimus, de iis existimandum est, qui *ἀναγιγνώσκειν* verbo vel verbo consimili inducuntur, cum hoc quoque ad monumenta litteris mandata revocetur. Exemplum sit Matth. 21, 16: *οὐδέποτε ἀνέγνωτε* ὅτι »ἐκ στόματος νηπίων καὶ θηλαζόντων κατηρτίσω αἶνον;« (adde Matth. 21, 42; 22, 32; Marc. 12, 10; 26; Luc. 10, 26; Act. 8, 32), quocum loco in litteris Latinis comparari potest Quint. I 6, 11: cum *legeremus* in XII tab.: »ni ita pagunt«; vel similiter Cic. de leg. II 4, 9: A parvis . . ., Quinte, *didicimus:* »si in ius vocat . . .« Ex usu forensi etiam ea formula mihi videtur fluxisse, quae exstat Act. 13, 22: τὸν Δαυεὶδ . . ., ᾧ καὶ *εἶπεν μαρτυρήσας·* »εὗρον Δαυεὶδ τὸν τοῦ Ἰεσσαί«; cf. Hebr. 2, 6; 7, 17, cui loco repondet Xenophonteus ille, qui invenitur Memor. I 2, 20: *Μαρτυρεῖ* δὲ καὶ τῶν ποιητῶν ὅ τε *λέγων·* »Ἐσθλῶν μὲν γὰρ ἄπ' ἐσθλὰ διδάξεαι . . .« et in litteris Latinis Scaurus de orthogr. p. 2253 (Keil GL VII 15): *testatur* foedus Graeciae, . . . item XII tab., ubi est: »ni pacunt.« Itaque hic quoque verba allata pro testificatione afferuntur.

Sed pergamus. Semper enim auctores — exceptis Matth. 9, 13; 12, 7; Luc. 13, 35 — verba laudanda aliquo modo litteris sacris deberi indicant, interdum, si aliud nihil, simplex γέγραπται (cf. supra p. 38) vel ἐρρέθη, ut Matth. 5, 27: ἠκούσατε ὅτι ἐρρέθη· »οὐ μοιχεύσεις« (adde Matth. 5, 21; 31; 38 etc.), praeponunt. Fons locorum accuratius non definitur; nam, ut supra p. 38 dixi, a primo apparuit, ubi loci laudati exstarent, omnesque qui legebant libros sacros pernoverant. Quin etiam Deus ipse haud raro personatus inducitur vel significatur ut Matth. 15, 4: ὁ γὰρ θεὸς εἶπεν· »τίμα τὸν πατέρα καὶ τὴν μητέρα . . .« vel Matth. 19, 4: οὐκ ἀνέγνωτε ὅτι ὁ κτίσας ἀπ' ἀρχῆς ἄρσεν καὶ θῆλυ ἐποίησιν αὐτοὺς καὶ εἶπεν· »ἕνεκα τούτου καταλείψει ἄνθρωπος τὸν πατέρα . . .«.

Nec non et scriptura sacra ipsa personae loco habetur et verba facit, ut Rom. 7, 7: εἰ μὴ ὁ νόμος ἔλεγεν· »οὐκ ἐπιθυμήσεις.« vel 1. Tim. 5, 18: λέγει γὰρ ἡ γραφή· »βοῦν ἀλοῶντα οὐ φιμώσεις.« cf. Rom. 9, 17; 10, 11; 11, 3; Gal. 4, 30; Iac. 4, 5 sq., quibuscum comparentur loci ex litteris Latinis petiti ut Varr. LL VII 51: itaque *XII tab. dicunt:* »solis occasu . . .« vel Cic. de leg. II 58: »hominem mortuum«, *inquit lex in XII,* »in urbe . . .« cf. Ulpian. Dig. IX 2, 27, 5; XXXXVIII 5, 30; L 16, 195, 1; Gai. Inst. I 132 etc. similiterque Ulp. frg. 10, 1: idem enim *lex XII tab. iubet* his verbis: »si pater . . .«; cf. Ulp. Dig. II 11, 2, 3; XLVII 3, 1; Fest. p. 241 (M); 370 (M); Ascon. in Mil. p. 34; Cic. de leg. II 60; Tusc. III 11; de dom. 43; Dionys. Halic. III 22, 10.

Haec hactenus. Usum loquendi in litteris sanctis et profanis observavimus. Quid inde consectarium est? Possit aliquis statuere hunc usum a Romanis ad evangeliorum scriptores devenisse; nam et alia vestigia Latinae originis in Novo Testamento supra detexi. Veri autem similior haec conclusio se offert; scilicet iam in Septuaginta illud γέγραπται deprehensum est, quod ibi ex hebraico sermone accurate transversum est; sufficit igitur ad Iudaeorum ipsorum usum provocare neque id quod apud Romanos valere vidimus aliud est nisi anologia quam dicere solemus; scilicet ex iisdem condicionibus apud Iudaeos et Romanos eadem consuetudo orta est; apud utros-

que enim in scriptis legibus aut Dei aut rei publicae omnis auctoritas posita fuit; aliter apud Graecos, qui legum publicarum nunquam fere collectiones instituerunt, cum praeter causam p. 42 sq. explicatam auctoritate alicuius rei vel personae se astringere ab indole atque animo eorum omnino alienum esset, neque igitur solent citando ipsa earum verba adferre. Quae cum ita sint, nihilo minus utile esse putavi variorum populorum usum collectis quam plurimis exemplis in comparationem vocare.

2.

Ad aliud procedamus; quaeritur enim quatenus differant inter se apostoli et num quid peculiare offerant.

Apud Matthaeum, qui 40 locos ex Vetere Testamento affert, deciens amplior quaedem formula inductoria exstat, quam etiam Iohannes non nunquam usurpat; talis est: Matth. 2, 15: *ἵνα πληρωθῇ τὸ ῥηθὲν ὑπὸ κυρίου διὰ τοῦ προφήτου λέγοντος· »ἐξ Αἰγύπτου ἐκάλεσα τὸν υἱόν μου«* (= Hos. 11, 1). Quae formula sollemnis ter exhibita est brevibus spatiis intermissis (Matth. 1, 22; 2, 15; 17), quo plane apparet auctorem elegantiam orationis minus curasse. Ut saepe in his litteris, etiam verbum dicendi quamvis supervacaneum hic accedit *(τὸ ῥηθὲν . . . λέγοντος)*, qua de re iam p. 25 disputavimus.

Marcus aliena verba rarius affert. In summa 14 loci huc cadunt, qui nihil fere novi praebent.

Lucam fuisse hominem institutione oratoria politiorem, quod iam vidit Hieronymus[1]) (cf. Iuelicherum l. l. p. 296, Ed. Meyerum[2]) p. 8 sq., Nordenum l. l. p. 482), fortasse etiam ex ratione citandi, cuius in evangelio et in Actis 44 exempla numerantur, cognosci potest. Nam cum Veteris Testamenti verba apud reliquos omissis semper fere librorum titulis afferantur, Lucas plerumque (30^{iens}) auctoris nomen vel etiam titulum affert eadem ratione, qua scriptores profanos usos esse demon-

---

1) Hieronym. ep. XX 4 (C. S. E. L. LIV): Lucas igitur, qui inter omnes evangelistas Graeci sermonis eruditissimus fuit.

2) Eduard Meyer, Ursprung und Anfänge des Christentums I, Stuttgart 1921.

stravimus. Ex magno exemplorum numero attulisse satis habeo Act. 28, 25 sq.: *καλῶς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐλάλησεν διὰ Ἠσαΐου τοῦ προφήτου πρὸς τοὺς πατέρας ὑμῶν λέγων, »πορεύθητι πρὸς τὸν λαὸν τοῦτον καὶ εἰπόν,* et Act. 13, 33: *ὡς καὶ ἐν τῷ ψαλμῷ γέγραπται τῷ δευτέρῳ· »υἱός μου εἶ σύ, ἐγὼ σήμερον γεγέννηκά σε.«*

Idem Lucas haud inscius moris Graeci, si non semper plane exponit, attamen aliquo modo significat, quo ex fonte hauserit, sive personas nominat, de quibus agitur, sive genus litterarum indicat sive auctorem notat. Haec sunt testimonia: Act. 3, 25: *ὁ θεὸς . . . λέγων πρὸς Ἀβραάμ· »καὶ ἐν τῷ σπέρματί σου . . .«* Fabulam illam de Abraam qui filium immolaturus erat in Genesi narratam esse tum nemo vel Iudaeus vel Christianus ignorabat. Luc. 2, 23: *καθὼς γέγραπται ἐν νόμῳ κυρίου ὅτι »πᾶν ἄρσεν διανοῖγον μήτραν . . .«* Mandata et leges in Pentateucho scripta esse haud minus inter omnes constabat. Act. 7, 48: *καθὼς ὁ προφήτης λέγει· »ὁ οὐρανός μοι θρόνος . . .«* Hic auctor non nominatur quidem, sed prophetam esse tantum satis habetur. Interdum etiam *οἱ προφῆται* pro libro titulo afferuntur; nam XII prophetae minores secundum indicem scriptorum sacrorum a Synagoga constitutum uno libro continebantur (W. Christ, Gesch. d. griech. Lit. II 1, p. 418); confer Act. 7, 42: *καθὼς γέγραπται ἐν βίβλῳ τῶν προφητῶν· »μὴ σφάγια καὶ θυσίους . . .*; adde Act. 13, 40 et Ioh. 6, 45.

Haec de Luca. De Iohanne peculiare nihil habeo quod referam; *γραφὴν* affert sicut Matthaeus (cf. Ioh. 12, 38; 15, 25 et supra p. 46), sed plerumque simpliciore forma, ut Ioh. 13, 18: *ἵνα ἡ γραφὴ πληρωθῇ· »ὁ τρώγων μου τὸν ἄρτον . . .«* adde Ioh. 19, 24 et 19, 36. Huius evangelii in 21 capitibus non nisi 12iens ex aliis libris verba iniecta invenies eaque sine arte, quamquam hoc evangelium, quod attinet ad res et sententias, omnium subtilissimum et pulcherrimum esse nemo negabit, ita ut scriptor, si profanus fuisset, vix omisisset alienis verbis argute intextis sermonem elegantiorem reddere. Quae cur ita essent, p. 37 explicavi. Praeterea proprium id habet quod pro *γέγραπται* legimus *γεγραμμένον ἐστίν;* additur igitur ad

participium perfecti illud ἐστίν vel ἦν, id quod ex Hebraici sermonis consuetudine interpretandum est (Blass l. l. p. 5).

Sequitur Apocalypsis, quae exuberat sententiis ac vocabulis, quae ex recordatione Veteris Testamenti manaverunt, sed ne unum quidem locum aperte dilucideque notatum videbis.

Plura de Paulo dicenda sunt. Inter evangelia et Pauli epistulas nihil fere interest, nam id quod hac in re Apostoli proprium est, maximam partem ex ipsius natura neque ex diverso scribendi genere explicatum habet; neque enim minus quam evangelistae Paulus homines docere et adiuvare vult. In citando persaepe καθώς, καθάπερ, κατά particulis verba induxit, cuius usus in sola epistula ad Romanos missa 17 exempla exstant, ut Rom. 1, 17: καθὼς γέγραπται· »ὁ δὲ δίκαιος ἐκ πίστεως ζήσεται«; Rom. 3, 4: καθάπερ γέγραπται· »ὅπως ἂν διαιωθῇς ἐν τοῖς λόγοις . . .«; Rom. 4, 18: κατὰ τὸ εἰρημένον· »οὕτως ἔσται τὸ σπέρμα σου.«

Γράφω verbum 37sens positum, quo auctoritas sacrae scripturae indicatur, longe praevalet. Omnia enim, quae laudat, cum pondere laudat, ita ut ἀνοήτοις Γαλάταις severo vultu illud γέγραπται γάρ obiciat (Vollmer l. l. p. 76). Paulus Iudaeorum distinctionem, quae fuit inter Thora, Nebiim et Kethubim (i. e. *lex, prophetae, psalmi* etc.) conservavit, ut libenter ex his tribus vel saltem ex duobus sacrae scripturae generibus locos deinceps exscriberet, ut Rom. 8, 11 sqq. et 2. Cor. 9, 9 sq. Nam testimoniis hoc Rabbinorum more cumulatis fidem ac pondus argumentationis augeri putavit, id quod docuit Vollmerus l. l. p. 37, 49, 73. Sed haec minus ad nostram quaestionem faciunt. Scriptum, ex quo hauserit, Paulus non nisi 20 locis significat ex 64, quos omnino affert, ut Rom. 9, 25: ὡς καὶ ἐν Ὡσηὲ λέγει· »καλέσω τὸν οὐ λαόν μου λαόν μου . . .« vel Rom. 9, 15: τῷ Μωϋσεῖ γὰρ λέγει· »ἐλεήσω ὃν ἂν ἐλεῶ . . .«

Qua in re longius etiam processit auctor epistulae ad Hebraeos missae, qui ter tantum (= 9 %!) librum notat compilatum atque ubi ex eo sententiam inducit, λέγω verbum unice (30iens posuit!) in deliciis habet non indicans, qui sit qui loquatur, cum Deus verborum auctor sit, ita ut sensus

eveniat *es heißt*, qua ratione illos scripturae sacrae locos multo certius a Deo et Sancto Spiritu proficisci declaratur quam apud Paulum. Quid? quod haec epistula magnam partem catena est locorum ex Septuaginta repetitorum, quorum 21 in nullo alio scripto Novi Testamenti allegantur. — In reliquis epistulis non nisi pauca omnino exempla occurrunt. Itaque nihil adnoto nisi quod in priore Petri epistula bis inductionis formula omissa est et verba citata sententiae pleniori ipsi adstruuntur, id quod etiam scriptores Graeci et Romani magna elegantia faciebant; hos dico locos: 1. Petr. 1, 24: *διότι »πᾶσα σὰρξ ὡς χόρτος . . .«* (Ies. 40, 6 sq.) et 1. Petr. 3, 10: *ὁ γὰρ »θέλων ζωὴν ἀγαπᾶν καὶ ἰδεῖν ἡμέρας ἀγαθάς . . .«* (Ps. 34, 13 sqq.). Ceterum quae p. 37 dixi etiam in epistulas cadunt.

3.

Restat ut pauca de fide locorum commemoratorum adiciam. Locos in Novo Testamento ex Vetere repetitos aut secundum archetypum Hebraicum aut secundum biblia in Graecum conversa, quae Septuaginta nominantur, allegatos esse Huehn l. l. p. 278 sq. docet, et maximam partem cum Septuaginta congruere Swete l. l. p. 393 sq. observavit. Sed notabile est discrimen quoddam intercedere inter locos a Synopticis consentientibus allatos et eos, quos unus tantum eorum laudavit: illos satis accurate secundum Septuaginta, hos ex alia conversione Graeca sumptos esse videri. Quae accuratius anquirere nimirum huius loci non est. Non semper autem Novi Testamenti auctores verba illa ex ipsorum librorum recenti lectione repetiisse sed plerumque ex memoria protulisse perspicuum esse censeo. Quae cum ita sint, multos locos neglegentia quadam vel errore plus minus a genuina forma remotos esse non mireris.

Quocum cohaeret etiam locorum contaminatio, quam haud raro et apud evangelistas et in epistulis invenimus. Modo enim verba inter se discrepantia eiusdem scripti conflata, modo liberius loci ex diversis libris repetiti copulati sunt, sed numquam ita, ut locos re vera iunctos non esse antea indicetur; vide Act. 3, 22: *Μωϋσῆς μὲν εἶπεν ὅτι »προφήτην ὑμῖν ἀναστήσει*

κύριος ὁ θεός . . .« (5. Mos. 18, 15 et 3. Mos. 23, 29); adde Matth. 22, 24; Marc. 12, 19; Luc. 4, 17; 18, 20; 20, 28; Rom. 3, 10; 9, 25; 9, 33; 14, 11. Rom. 15, 9a: *καθὼς γέγραπται· »διὰ τοῦτο ἐξομολογήσομαί σοι ἐν ἔθνεσιν καὶ τῷ ὀνόματί σου ψαλῶ* (2. reg. 22, 50 et Ps. 18, 50): adde Matth. 21, 4; Marc. 1, 2; Act. 13, 22; Ioh. 6, 31; 12, 14; Rom. 11, 8a; 1. Cor. 1, 19; 14, 21; 15, 55; 2. Cor. 6, 16; Hebr. 1, 5c.

Et hic quidem disputationis finis esto. Non sine consilio me cum Cicerone Plutarcho Seneca Novi Testamenti studium coniunxisse vides, quippe quae scripta eidem fere litterarum aetati attribuenda sint; nec frustra id factum esse aut fallor aut concedet, qui omnia quae congessi perlegerit. Nam sicut Lucas evangelista cum Cicerone vel Plutarcho conspirat, ita ne reliqui quidem sacri libri a consuetudine loquendi profana remoti mihi videntur esse.

VITA

Natus sum Edgar Howind a. d. XIV. kal. Apr. a. 1896 Cassellis patre Augusto, matre Thekla ex gente von Schütz, quos adhuc vivere gaudeo. Fidem profiteor evangelicam. Civis Borussus sum. In patria urbe primis litterarum elementis imbutus ibidem gymnasium frequentavi, quod nomen duxit ab imperatore Guilelmo. Februario mense anni 1914 maturitatis testimonio instructus Marpurgum me contuli, ut philologis potissimum studiis operam darem. Inde ab autumno eiusdem anni Lipsiis per 4 semestria studia mea continuavi. Aestate anni 1916 miles factus in Francogallia belli particeps fui, sed morbo correptus aestate anni 1917 in patriam remissus sum. Ab mense Decembri anni 1917 usque ad finem belli Marpurgi stipendia feci nec desii deinde ibidem studiis incumbere. Mense Martio et Novembri a. 1920 examen pro facultate docendi superavi.

Docuerunt me viri docti: Andreas, Birt, Bornhaeuser, Curtius, Friedlaender, Glaser, Glover, Hamann, Hartmann, Hermelink, Jacobsohn, Jacobsthal, Jaensch, Juelicher, Maass, Millèquant, Misch, Natorp, Palgen, v. Premerstein, Reinhardt, Wechssler Marpurgenses; Althaus, Bergmann, Bethe, Birch-Hirschfeld †, Brugmann †, Gardthausen, W. Goetz, Hauck †, Heinze, Herrle, B. Keil †, Koester, Lamprecht †, Martini, Pruefer, Settegast, Spranger, Studniczka, Sueß, Volkelt, Wengler, W. Wundt †, Ed. Zarnke Lipsienses. Ad exercitationes me admiserunt Marpurgi philologas: Birt ter, Curtius bis, Reinhardt, Wechssler quater; metricas: Friedlaender; Lipsiis ad philologas: Bethe, Birch-Hirschfeld †, Heinze ter; archaeologicas Studniczka bis, cuius in instituto archaeologico per sex menses adiutoris munere functus sum, ad musicas: Pruefer. Ut in seminarium philologum reciperer, Birt Maass Reinhardt et in seminarium romanisticum Curtius Wechssler directorum benevolentia factum est.

Quibus viris doctissimis omnibus optime de me meritis gratiam ago semperque habebo maximam praeter ceteros Friedlaendero Heinzio Juelichero Studniczkae, imprimis autem Birtii praeceptoris memoriam pio animo colam, qui ad hoc opusculum componendum me incitabat et benigno consilio semper me adiuvabat.